periclitanti pro virili succurrere valerent, securè negligentes, fortunæ inclementiâ id experiri coguntur infortunii, qvod ne metuissent aut unqvam conjecissent. Nec minus itaqve æqvitatis ratio qvàm civilis beatitatis conservatio exigit, eam de utrisq; ferri sanctionem, qvæ illos intra limites, qvos ei observare convenit, qvi publico se natum fateri debet, rigorosè contineat: Hos vero peculiaribus & illis qvidem erigat immunitatibus, qvæ, qvominùs desperare penitus cogantur, aut ad incitas redigantur, felici operari adsolent eventu.

III. Et ex his satis patere opinamur, ad meliorem judicii formationem, in antecessum, ex propositi ratione, eos Debitores removendos esse, qvi propriâ culpa eò deducti miseriæ, ut alieno se nexu liberare neqveant: Creditore interim damnum irreparabile qvamsæpè incurrente. Optandum qvidem, unâ vel alterâ ratione id periculi genus insontibus Creditoribus, & qvi concivi opem ferendo suo satisfacere voluerunt officio, imminere; Sed verò humana malitia, & exsurgens qvotidiè astutia novos perpetuò suggerit modos, qvibus alter alterum circumvenire artem interpretatur & prudentiam, Seculi hodierni genio ex asse conformem. Alii eqvidem apertà satis & perfrictâ fronte, alii vero clandestinis artibus, & venenatis persvasionibus, ut vel simplices planè, vel cautos cæteroqvi satis, deciperent, & in non vulgare damnum præcipites darent, utuntur: Utrisq; divinis æqvè interdictis ac proximi charitati oppidò contravenientibus.

IV. Utut enim nonnullis qvam optimè constet, qvanta seipsos premat miseria, adeò, ut etsi se totum Creditori mancipare possent, vix tamen facerent satis; ea tamen eos tenere soleat audacia, ne dicam impudentia, ut

omni flocci penſo, ita ſe vita moribusqve oſtentare asſoleant, ut Cœlum citius qvis ruere, qvàm ipſos ad extremam properare inopiam, dixerit. Neqve enim ſi mercimonia exerceant, nundinas etiam celeberrimas inq; maximò Mercatorum conventu inſtitui ſolitas freqventare verentur. Sed qvem qvæſo in finem? nimirum, ut ſecuriores ſuâ primitus præſentia reddant creditores, callidè autem & veteratoriâ tandem arte circumveniant, eò ulterius ſtratagemate utuntur, ut ſervent initio fidem datam, liberentqve ſe nexu, qvò obſtricti, de die autem in diem augeant non modò credita, ſed & obligationibus eâ fine contractis neſcio qvas interpretationes & Sophiſmata affingant, adeò, ut nulla ferè obligatio ipſis tam firma videatur, qvam in dubium vocare non audeant: prouti de fidejusſoribus moras nectentibus disſerit Anton. Hering. *de fidejuſſ. cap. 19. num. 33.* Qvò ipsò, exemplis atteſtantibus, eventuqve comprobante, non aliud intendunt, qvàm, ut ſuæ fomenta ſubjiciant neqvitiæ, alienis autem fortunis inhient nefariè ac inſultent. Cùm autem facilè deprehendant, non defuturos tandem, qvi callidæ illorum circumductionis certiores facti cautius impoſterum acturi; ideò Thraſonicam induunt oſtentationem, Creditoribus ſuis aureos montes pollicentes, qvin imò ſe confeſtim ſoluturos, vel ut intereà eò ſecurior fides ipſis habeatur, fidejusſores idoneos daturos. Nec deficit tandem ſplendor externus & in oculos incurrens: Non modò enim annulis aurô & gemmis pretioſis, ſplendidisqve incedunt veſtimentis, ſed & in univerſum vitam planè mollem & delicatam agunt, ſplendidisq; ædificiorum ſtructuris ſuam miſeriam adeò ſplendidam efferunt, ut qvi ab illis nondum decepti, decipiantur inpoſterum qvàm promtisſimi.

V. Sed

V. Sed enim ferat cordatior judicium de malè feriatis istiusmodi hominibus: certè eos proximum suum deludere, nec in DEum aliud attentare spontè fatebitur. Nec immerito: reluctantur eqvidem implantatis non modò principiis omnem circumventionem interdicentibus & proximi vicissim dilectionem sub legis rigore inculcantibus, sed & publico bono, cui promovendo ex virili incumbere cæteroqvi deberent, protervè se opponunt. Qvò gravius itaq; & publico & sibi & proximo nocent, eò magis conveniet publicæ rei gubernatori id omni contendere opera, ut supprimantur in tempore, vel, anteqvam impunitatis colore latius se diffundant, & concivium mores contaminent, coërceantur ex voto. *Congruit enim bono*, inqvit Ulpianus in *l. 13. ff. de off. præsid.*, *& gravi præsidi curare, ut pacata atq; qvieta provincia sit, qvam regit; qvod non difficile obtinebit, si solicitè agat, ut malis hominibus provincia careat, eosq; conqvirat.* Et si ulla Respubl. Romana certè eò perpetuò annixa, ut malum, anteqvam succrescat, magis & magis, radicitus exstirparet; inductis eâ fini acerbissimis suppliciis.

VI. Nimirum lege XII. Tab. contra Debitores non solvendo factos seqventi procedebant ordine: Initiò, qvò minus justam qver landi haberent causam, se omni morâ & dilatione privatos fuisse, inducias 30. dierum concesserunt, qvos justos vocitarunt, qvasi justitium qvoddam, i.e. juris inter eos interstitionem qvandam & cessationem; ut interea temporis vel ad meliorem pervenirent fortunam, vel alius qvis misericordiâ motus pro eô solveret. Qvod si verò intra id temporis spatium nexu se non liberarent, Creditores gaudebant potestate non qvidem eos dilacerandi, ut frustra sentit glossa Azo & Salicet. ad *tit. C. qvi bo-*

ce l. refutati à Roderico Suarez de *cess. bonor. n. 1 & 2.* Sed manus iisdem injiciendi, i. e. in jus ducendi, & si seqvi reluctati fuissent, vel obtortô collo trahendi, eum præcipuè in finem, ut ipsis addicerentur, & nervo interea atq; compedibus vincirentur. Jacob. Cujac. *lib. 10. obs. 10.* Francisc: Duaren: *disp. anniv. lib. 1. c. 1.* Jacobus Ræward. *ad L. XII. Tab. c. 12.* & *varior. lib. 4. c. 18.* Francisc. Hottom. *illustr. qvæst. lib. 1. c. 24.* Govean. *lib. 1. disp. 1, 47.* Joh. Gœdd. *ad l. 9. de V. S. n. 6.* Et si Creditori nondum satisfecerit sive solutione actuali sive pignorum aut fidejussorum in ipsius securitatem constitutione, sive amicabili tandem pactione, in vinculis 60. dierum spacio custodiæ causa detineri poterat, & deinceps tanqvam debitor in trinis nundinis continuis publicè producebatur, qvantàq; pecunia creditoribus suis obstrictus hæreat, prædicabatur.

VII. Publicam hanc proclamationem solennemq; debiti confessionem tertiis nundinis rigorosa satis condemnatio seqvebatur. Sive enim capitaliter in ipsum animadvertebatur, sive trans Tyberim peregrè, i. e. extra Patriam vendebatur, atq; in miseram servitutem detrudebatur: privatus sic aureâ vivendi libertate & arbitrio. Qvin imò, postqvam nec harum pœnarum severitate publico satis prospectum videbatur, malevolis Debitoribus vinculorum duritiem contemnentibus, qvotidiè interim accrescentibus, exasperare pœnam Romani è re duxerunt publicâ, nixi fiducia, fore tandem, ut à contrahendis debitis, qvibus solvendis impares, desisterent. Nimirum *eam capitis pœnam*, utar verbis Auli Gellii noct. Attic. lib. 20. c. 1. *sanciendæ fidei gratia horrificam atrocitatis ostentis novisq; terroribus metuendam reddiderunt. Nam si plures forent, qvibus reus esset judicatus, secare si vellent atq; partiri corpus*

addi-

addicti sibi hominis permiserunt. Verba I.XII. Tab. qva inducta hæc durities, hæc sunt: *ast si pluses esunt rei tertiis nundinis parteis secanto, si plus minusve secuerunt, ne si fraude esto.* Sed verò, licet cum Petro Gudelino *de jure novissimo lib.4.c.16.* & David. Mævio *ad jus Lubec. lib.3. artic.1. num. 4.* hunc secandi modum nunqvam in usum venisse dixerim; Præsertim qvod ipse Gellius dicto loco attestetur, dissectum antiqvitus aliqvem se neq; legisse neq; audivisse, *qvoniam* (sunt verba Gellii) *sævitia isti pœnæ contemni non qvita est;* sufficiat tamen nobis evicisse eô ipsò & demonstràsse, qvantopere soliciti in coërcendis improbis atqve morosis Debitoribus fuerint Romani antiqviores.

VIII. Nec minus aliarum gentium mores legesq; scrutanti oppidò constabit, multas Romanorum institisse vestigiis. De Gallis eqvidem, Hispanis & Florentinis tradunt Jacob. Menoch. de *arbitr. jud. qvæst. cas. 183. num. 3.* Antonius Hering. de *fidejuss. c. 6. num. 258.* Roderic. Svarez. de *cess. bonor. n. 7.* penes illos Debitores ob æs alienum in carcerem non solùm suis temporibus detrusos, sed & manibus Creditoris adsignatos fuisse, ut illi tamdiu serviant, &, qvod ex operis suis lucrentur, Creditori præstent, donec huic satisfactum. Utut etiam deinceps apud Gallos prehensiones Debitorum propriâ factæ auctoritate, minimè adprobatæ fuerint; Qvod si tamen aliqvis carceri semel mancipatus, eum non prius dimissum fuisse, qvàm solverit, vel sufficientem cautionem præstiterit, testatur Petr. Gregor. *Syntagm. jur. univ. lib. 22. c. 6. n. 3.* Nec mitius ferè statuit de morosis & non solvendo existentibus Debitoribus antiqvum jus Saxonicum: eo qvippe Creditoribus debitores obæratos in compedibus & vinculis tenere ejusq; servitiis tamdiu uti permissum, qvamdiu operis vel aliâ ratione

tione obligationis se non liberarint vinculo. Der Schuldner wirdt seinem Gläubiger an die Hand und Halter gegeben / biß Er die Schuld loß arbeitet. Land Recht *lib.3. artic.39. pr.* Matth.Coler. *de process.execut.part.1. cap. 3. n.161. & c 6. n.114. c.7. n.16, & decis.135, n.2.* Christoph.Zobel. *diff.jur.civ. & Sax.part.2. diff.30. n.6. & 7.* Carpz. *jurispr.forens.part. 2. Const. 22. d.1.* prouti etiam JCtos Jenenses ita respondisse testatur Dn. Struve *Syntagm. jur. Exercit. 44. th.32.* Daß Beklagter vermöge gemeiner Sächs. Recht die Schuld abzuverdienen / oder in Banden und Gefängnis abzusitzen / denen Klägern nicht unbillig an die Hände gegeben V. R. W. Et licet hæc ipsa Juris Saxonici sanctio olim ubivis locorum, in qvibus idipsum viget, in viridi fuerit observantia, nec minus hodienum extra Provincias Electorales Jure Saxonico communi servetur teste Johann.Zanger: *de except. part. 3. cap. 1. n. 142.* in terris tamen Electoratus ea prorsus abrogata, forte, qvod ex mente Dn. Carpz. *cit. loc. def. 2. n. 1.* ea LLatori minus sufficiens visa fuerit: Substitutâ vicissim in Const. Augusti Electoris *part. 2. const. 22.* in verb. und nach dem Wir 2c. in locum illius duriori carceris pœnâ.

IX. Absit autem vel eapropter jus Saxonicum nimii rigoris incusare: qvod si enim Romanorum sanctiones ante relatæ, utut severiores longe, ob finem, qvem intendebant, salutarem, iniqvitatis aut duritiei nimiæ colore neqvaqvam despiciendæ; qvantò minus legalis Saxonum dispositio improbos Debitores & qvi rei suæ gerendæ non præsunt ex officio magis magisq; coërcere intendens. Præcipuè, qvod sacris edoceamur paginis, obæratos debitores eorumq; liberos à duris Creditoribus in vincula fuisse conjectos. Petr. Heig. *qvæst. jur. civ. & Saxon. q. 35. n. 20.*

Et

Et pactis caveri posse, ut debitor non solvendo existens ad operas & servitutem obligetur, prolixè tradit Matth. Coler. *de process. execut. p. 1. c. 9.* Et imò Jure Lubecensi istiusmodi mancipatio vel addictio in servitutem creditoris hodienum permissa *lib. 1. tit. 3. art. 1.* Zum andern nimbt Er die Persohn an ꝛc. qvorum verborum explicationem modosqve qvibus ita addictus iterum liberatur, videsis apud David. Mævium ad *d. l.* Nec minus publici boni exigere videtur favor, qvò freqventiores & audaciores se præbeant qvotidie improbi Debitores, eò severius coërcerentur, & in contrahendis passim debitis comprimerentur Mynsing. *comm. ad Instit. de act §. ult. n. 18.* Domin. Arumæus *disc. Acad. de jur. publ. vol 3. disc. 4. concl. 11.* Ne dicam de aliis gentibus, acerbiorem longè rigorem in maleferiatos Debitores exercentibus: nec ex aliâ certè intentione, qvàm ut fræna tandem temeritati illorum, qvâ alienis fortunis inhiare non subterfugiunt, proximi detrimento, ut proprium replere valerent marsupium, injicientes.

X. De Moscovitis attestatur Alexand. Gvagn. in *desc. Muscov. c. 4.* debitores æs alienum contrahentes, cui deinceps solvendo impares, in cruribus pedum graviter tàmdiu cædi, qvamdiu Creditoribus acceptis undecunqve nummis non satis fecerint: Qvod si vero id efficere non valeant, Creditoribus tandem pro valoris debitiq; qvantitate servitia præstare coguntur. Apud Judæos in Israëlitica Republ. Debitores non solvendo existentes Creditorum servituti addictos fuisse ex sacris Literis probat Petrus Gregor. *Syntagm. Jur. univ. lib. 22. c. 6. n. 7.* & David Mævius *Comm. ad Jus Lubecc. lib. 1. tit. 3. art. 1. n. 86.* Ex tot itaq; populorum conformibus ferè sanctionibus satis patere reor, non vulgare ex accrescente nimis civili conniventiâ debitorum

malitia damnum publico bono imminère: ut proinde eò citius legali severitate illi obviam ire Reip. incumbat Rectori, qvò facilius asfurgere & incrementa capesfere adsolent. Utut igitur apud Romanos seqviores teste Livio *lib. 8.* leg. Pætilia Papiria cautum fuerit, ut pecuniæ creditæ causa, bona debitoris saltem tenerentur, corpus autem minimè necteretur, sive, ut Cajus Manlius in Catilinaria historia apud Salustium loqvitur, amisſô patrimonio corpus liberum esset; sæpisſimè tamen & post eam priorem vinciendi rigorem experti Debitores. Sed enim, postqvam nimis abuterentur Creditores rigoroso hoc remedio; ideô juxta *legem 12. C. de O. & A.* ob æs alienum liberos homines creditoribus servire compelli jura non patiebantur: Concesso vicisſim Debitoribus lege Julia bonorum cesſionis beneficio, qvo omnes, qvibuscunq; ante obnoxii erant, evitare valebant molestias & anxietates.

XI. Non tamen omnes sine discrimine Debitores legali hoc beneficio digni censentur, sed illi solùm, qvi citra culpam ex fortunæ adversitate ad inopiam redacti. Absit itaq;, Decoctores & bona sua malè sponteq;, dilapidantes id beneficii genus sibi arrogare posse; Jura eqvidem nostra, ne malitiam etiam indirectò fovere videantur, deceptis tantùm aut fortunæ injuria læsis, neqvaqvam vero decipientibus subvenire adsolent *l. 2. §. 3. ff. ad SC. Vellej.* & illis meritò auxilium legis denegatur, qvi in leges protervè deliqverunt *l. 37. ff. de minor.* Ne alioqvin qvod miserorum subsidium nec non flebile adjutorium in *leg. 7. C. qvi bon. ced. poss.* vocatur, improborum hominum fieret præsidium. Proinde certis demum reqvisitis concurrentibus legale hoc beneficium locum habere latius docent Domin. Arum. *de J.P. vol. 3. disc. 4. concl. 43. & seqq.* Petr. Gregor. *Syntagm.*

tagm. Jur. univ. lib. 22 c. 8. & seqq. David Mævius *ad Jus Lubecc. lib. 1. tit. 3. artic. 1. num. 20. & seqq.* Anton. Perez. *præl. ad Cod. tit. qvi bon. ced. poss. n. 11.* & omnium prolixissimè Joh. Marqvard. *de Jur. Merc. & commerc. lib. 1. cap. 14.* Aliàs Jure Romano debitorum securitati hoc remedio in tantum prospectum, ut qvisqvis eorum ad illius asylum confugere velit, carcerem, utpote pro hominibus sceleratis & noxiis constitutũ, pertimescere neqvaqvam habeat, *leg 2. C. de exactor. tribut.* adeò, ut, qvicunq; Creditorum eô non attento debitorem suum carceri mancipari effecerit, amissione crediti, alterius tanti solutione & pœna ex arbitrio Judicis corporali punitus fuerit. *Auth. imò à debito, C. de O. & A.*

XII. Qvin imò ex novella tandem constitutione 135. nullus Debitorum bonis cedere cogebatur, dummodo juramento confirmaverit, se solvendo non esse; forte, qvod cessionem citra ignominiam vix fieri posse deprehenderet Romanus Legislator. Interim, an dicta constitutio usu unqvam recepta fuerit cum Petro Gudelino & Reinhardo Bachovio dubitat novissimè Dn. Struve *Syntagm. Jurispr. tit. de cess. bon. th 32.* Utut diversa sententia arridere videatur Petro Heigio *qvæst. jur. Civ. & Sax. q. 35. num. 65. & seqq.* Potius, ut accrescens de die in diem pessimæ frontis hominum perfidia eò magis magisq;, coërceretur, &, si fieri possit, compesceretur penitus, moribus iterum & usu publico in usum reductus carcer publicus, in vernacula nostra à causa suâ dictus der Schuld-Thurn/ carcer tædialis, prouti à Doctoribus qvoq; vocatur Christoph. Besold. *thes. pract. sub voce* Schuld-Thurn. Num autem istiusmodi mores justitiæ offendant leges, in præsens discutere parum attinet, tûm qvod vel solus favor & utilitas publica, ut malitiæ Debitorum incrementa capessenti ponantur limites, exi-

gat rigorosè, tùm qvod antiqvitas non minus Carceris publici, qvam novæ Juris Saxonici & Lubecensis sanctiones à posteriori illius comprobent justitiam. Qvod si enim ex sententia nonnullorum Debitor qvivis in casum moræ in solvendo commissæ privata auctoritate ad carcerem se obligare potest Mynsing. *cent. 6. observ. 51.* Matth. Coler. *de process. execut. p. 1. c. 6. n. 53.* Guid. Pap. decis. 61. Koppen. *decis. 29.* qvantò magis ut obærati & improbi Debitores publico mancipentur carceri, publica Juris auctoritate induci sancirive potuit.

XIII. Interea, ut omnes turbæ evitentur, & tumultibus occasio subtrahatur, publica Magistratus auctoritas perpetuò subintelligenda, ut ea demum ad partes vocata Creditoribus liceat Debitores suos carceri mancipare. Andr. Gail. *de P. P. lib. 2. c. 2. n. 9.* Dav. Mev. *comm. ad Jus Lubecc. lib. 1. tit. 3. art. 1. n. 39.* Nec minus Creditori præcavendum sedulò, ne intempestivè, & justò citius, aut contra præscriptum Juris ordinem ad flebile hoc properet remedium; Alioqvin, si actioni injuriarum à Debitore pulsatus fuerit, suæ transscribere habebit temeritati. Henning. Gœd. *consil. 38. n. 6.* Qvid enim si debitum non liqvidum satis aut certum fuerit? Qvid si nondum satis constet de facultatibus Debitoris, an solvendo ille sit nec ne? Qvid si debitor non culpa sua, sed ex infortunio ad tantam redactus miseriam, ut nexu se liberare neqveat? Qvid si minus competentis Judicis auxilium ad incarcerandum Debitorem Creditor imploraverit? Qvid deniqve si honestas conditiones à Debitore sibi oblatas acceptare recuset? Qvid si fidejussorem sufficientem & idoneum Debitor offerat? His certè & non dissimilis farinæ casibus obvenientibus Creditor incarcerationem minus jure postulabit; Parata potius Debitori

tori supereſt injuriarum actio. Petrus Heig *qvæſt. jur. Civ. & Sax. qvæſt. 35. n. 58. & ſeqq.* Jacob. Menoch. *de arb. jur. qvæſt. lib. 1. qvæſt. 90. n. 15. & ſeqq.* Frid. Huſan. *de homin. propr. qvæſt. 6. n. 22. & ſeqq.* Bened. Carpz. *Juriſpr. For. p. 2. Conſt. 22. def. 1. & ſeqq.* Dav. Mœv. *comm. ad Jus Lubec. l. 1. tit. 3. art. 1. n. 56. & ſeqq.* Qvod ſi verò Creditor ordine hoc obſervato ad executionem hujus remedii progresſus fuerit, ponderando accuratè reqviſita lege civili præſcripta, debitor non prius ex carcere dimittendus, qvàm prævia Creditoris, ſolutâ nimirum cum uſuris ſorte, voluntate.

XIV. De cætero, ſicut Princeps Legislator ſuo eâ ex parte ſatisfacit officio, qva debitorum malitiam fraudesq; determinatis lege præſcripta delictiq; freqventiæ conformibus coërcere intendit; ita vicisſim ex alterâ parte, ut miſeris & præter culpam ad inopiam redactis ſanctionibus remediisve eâ fini inductis, qvò ad meliorem tandem fortunam pervenire valeant, ſubveniat, publici boni exigit ratio. Qvod ſi enim Medicus ſuis partibus minimè rectè defungi cenſetur, ſi ſecare tantùm partes corporis, aut remedia expulſiva adhibere vellet, confortantibus nullis adhibitis, qvantò magis prudenti civilis corporis gubernatori conveniet, ſupplıciorum non tantùm ſtringere fulmina, ſed id etiam laborare, ut illis, qvi interdum bono publico periclitanti ſuis ſubvenere fortunis, grave diſpendium bonorumq; jacturam non rarò perpesſi, beneficiis privilegiisq; ſalutaribus ſuccuratur. Et ſi vel ullis civium, illis certè, qvi aliis hærent obſtricti & ingenii præprimis humani perverſitate, qvâ ſemper de facultatibus ſuis amplius ſperant homines, qvàm in illis eſt, juxta *leg. 10. ff. qvi & à qvibus man. §. 3. inſt. eod.* antea deceptis ex poſtfacto tamen eventus adeò infeliciter reſpondet, ut planè non habeant, qvò

 Cre-

Creditoribus suis faciendo satis ab alieno se vindicare valeant nexu, legali prospiciendum auctoritate, ut ab importunis Creditorum efflagitationibus securi tamdiu permaneant & immunes, donec conqvisitis iterum opibus Creditorum explere possint desideria.

XV. Utut enim stricta juris stricti observatio exigat rigorosè à Debitore satisfactionem, acerbioribus tandem remediis obtinendam, qvæ lenioribus impetrare non potest; æqvitati tamen aliqvid dandum, & illi, qvam natura inter omnes homines constituit, cognationi: Præcipuè, qvod ea fati vicissitudo, qvæ debitorem hodie tangit, cras Creditorem discutere penitus possit. Et imò Creditores qvantò ampliore favore in persеqvendis debitis se munitos esse persentiscunt, tantò facilius promtiusq; abutantur jure sibi concesso, non adeò iniqvum qvid aut durum censentes, qvin exercere id, & Debitori suo plus satis molestiarum creare justum ducant & æqvitati non difforme. Laudatur qvidem Ulpiano Creditor in *leg. 33. ff. de usur.* qvi se non acerbum nec contumeliosum præbet Exactorem, sed moderatum & cum efficacia benignum & cum instantia humanum; Sed verò laudem hanc qvam pauci intendunt & merentur longè pauciores. Qvò magis itaq; Legislator deprehendit, augeri abusum jurium Creditoribus bonâ intentione tributorum: eò promtiorem esse ipsi conveniet, in limitandis iisdem, & ampliando versa vice miserorum Debitorum favore. Et licet adsint, civiliq; sanctione longè plures induci possint modi, qvibus calamitosa debitorum conditio sublevari feliciter possit; vix tamen est, qvi moras superare possit & inducias, qvas Princeps vigore imperii, qvò in suis pollet ditionibus, miseris non rarò concedit Debitoribus. Cum itaq; de illis ex instituti ratione

pauca

pauca in chartam conferre animo sedeat, ordinis interim ratio ne penitus susq; deq; habeatur, necesse duco, ut primò omnium originem ac denominationem qvinqvennalium literarum considerem perbrevissimè.

XVI. Vox, qvam rubrica sistit, à tempore suum sortita nomen, qvod induciæ illæ ac moræ ad qvinqvennii spacium concedi à Principe utplurimum soleant. Licet autem easdem in favorem Creditorum intra brevioris, & vicissim Debitorum longioris temporis metam coarctatas esse probari possit; Eapropter tamen præsentem, qvâ usi, denominationem qvis frustra impugnare sustinebit, qvod alioqvin qvàmplures denominationes à potiori, seu eô, qvod utplurimum contingit, Jurisprudentiæ præprimis pomeriis exterminandæ ipsi obvenirent. Qvod si vero voce generaliori rem ipsam qvis exprimere malit, mihi parum interesse videtur: Sive enim inducias moratorias seu literas induciales vocaverit, meipsum non habebit dissentientem, oppidò potius calculum adderem. Qvam maximè verò, qvod nostras qvinqvennales diversis dotatas reperire liceat Synonymis: aliis qvippe literæ gratiæ, aliis literæ respirationis, nec minus literæ salvi conductus & securitatis aliis dicuntur. Joh. Limn. *de J. P. l. 4. c. 8. n. 331.* Jac. Menoch. *de arbitr. Jud. qvæst. c. 203. n. 14. & seqq.* Huldericus Euben. *in notis ad prel. Perezii in Cod. tit. de precib. Imp. off. n. 5. lit. E.*

XVII. Omnes eqvidem hæ denominationes effectum qvinqvennalium nostrarum emphaticè satis exprimunt; morantur qvippe & differunt exactionem, qvam Debitor alioqvin non subterfugeret, si Creditori juri suo, nec principali auctoritate suspenso, inhærere pro lubitu liceret. Germanis proinde & Saxonibus præcipuè vocantur

Eiserne

Eiserne Brieffe / & Debitores dicuntur Eisern werden / qvia ferrei qvasi fiunt, seu ferro pectorali, ut loqvitur Dn. Dav. Mev. *in discuss. levam. inop. Deb. c. 4. discuss. 8. n. 1.* firmantur contra Creditorum exactiones, qvamdiu tali Diplomate circumdati reperiuntur, adversus judiciarias molestias & executiones securi & impenetrabiles. Vide & Anton. Hering. *de fidejuss. c. 5. n. 102.* Limn. *dicto loc.* Ostvvald. Hilliger ad *Donell. lib. 22. c. 9. lit. F.* Ventur. de Valent. *de parthen. litig. l. 2. c. 9. n. 22.* Chilian. König. *in process. judic. c. 2. n. 13.* Aliis qvoq; dicuntur Anstands-Brieffe/ qvia dilationem & moram solutionis faciendæ conferunt Debitoribus. Paulus Matth. Wehner. *in observ. pract.* & Christ. Besold. *thes. pract. verb.* Anstands-Brieffe. Tandem verso idiomate Qvinqvenellen. Sed hæc de vocis originatione jam rei ipsius origo justitiaqve, ex ordinis ratione subjicienda.

XVIII. Originem Gratiani temporibus transscribit Jacob. Cujac. *lib. 2. observ. 10.*, cui succinit novissimè Bened. Carpz. *jurispr. for. part. 2. constit. 22. def. 29. n. 2.* moventur lege *4. Cod. de prec. Imper. offer.* Sicut autem utriq; præter dictam legem qvartam hoc fine malè adducunt *legem ultimam C. qvi bon. ced. poss.* qvod ea rectè notante *Hillig. ad Donell. l. 22. c. 9. lit. E* de induciis non à Principe sed Creditore Debitori indultis sit concepta; ita vicissim Cujac. *dicto loc.* & cum eô Anton. Fab. *Decad. 25. error. pragm. 3.* ante adductas *leg. 2. & 4. Cod. de prec. Imp. off.* ad hanc materiam adplicari non posse adserunt: utut hic illi ex toto non addat calculum. Nimirum Cujac. sensum: *d. l. 2.* ita eruit: Præscriptionem i. e. exceptionem moratoriam s. dilatoriam, qvâ Creditor vi conventionis anteà initæ e. g. intra qvinqvennium à Debitore creditum exigere non potest, creditori illam ante qvinqven-

qvennium remitti & relaxari posse, peremtoriam autem non item, utpote, pacti conventi, ne unqvam petatur. Sed verò, cùm constanti Saniorum judicio Principi denegetur potestas auferendi alteri, etiam subdito, jus qvæsitum: Ne alioqvin legis naturalis sibiq; implantatæ violaret Præcepta. Potius, ut Debitor pacto de non petendo intra qvinqvennium ex legali concessione, ad evitandas interea temporis rigorosas Creditoris persecutiones sibi rectè prospexit, & voluntate sui Creditoris jus aliqvod repellendi eundem, intra dictum tempus petentem, sibi acqvisivit; ita Princeps, auferendo Debitori hanc exceptionem, gravem eidem inferret injuriã, & Creditori vicissim tribueret, cui spontaneo motu antea in favorem Debitoris renunciavit.

XIX. Præprimis verò si juris Romani sanctiones ad partes vocem, qvanta debitori eâ ratione pararetur injuria illicò adparebit. Præterqvam enim, qvod debitori tanqvam Reo jura majorem favorem & beneficia, qvàm actoribus exhibere soleant, *l. 125. de R. I.* liberatio qvoqve totalis debitori qvæsita cum ingenti ipsius damno subtraheretur. Cum enim jure veteri & tempore abhuc Constantini, cujus est *d. l. 2.* ante diem pacto conventioneve determinatum petens integra ceciderit causa §. *10 Inst. de except.* non poterit sanè princeps rescripto suo omnimodam liberationem debitori præmatura actoris petitione partam auferre, vel ut Hilliger loqvitur, saltem nè pararetur, impedire. Qvamvis enim Principi qvà actus civilis determinationem, suprema potestas devotè à Subjecto asserenda; nec minus tamen illi observare convenit, ne, qvod in favorem hujus lege sive à seipsô, sive ab antecessore latâ, sive etiam conventione licitâ principiisqve juris naturæ, ipsi non minus ac infimo Subditorum implantatis satis conformi, sanci-

tum

tum qvæsitumve, sive directò sive per indirectum detorqveatur sine causa urgente in ejusdem detrimentum. Et licet non negem Principem Subditum qvò minus hoc vel illud acqvirat, lege Civili antevertere posse Andr. Gail. *obs. pract. l. 2. obs. 142. n. 14* ex conventione tamen licitâ & ipso jure subsistente, ne intra qvinqvennium petatur, jus jam tum acqvisitum auferre vix poterit.

XX. Ejusmodi potius rescripta, qvæ in tertii præjudicium impetrantur, adeò invalida meritò censentur, ut licet annexam habeant clausulam, *motu proprio*, vel, *ex certa scientia*, nihilominus tamen ne qvicqvam operentur Ant. Perez. *in præl. ad C. tit. de prec. Imp. off. n. 4.* Andr. Gail. *l. 2. obs. 58. n. 5.* Unde omnia rescripta & privilegia Principis semper sine fraude cujusvis intelligenda, seu, qvod eodem recidit, semper iisdem tacitè inesse censetur clausula, salvô jure tertii, jedermänniglichen ohne Nachtheil / qvæ fundata satis *leg. 43 pr. ff. de vulg. & pup. subst. leg. 2. §. 10. & 16. ff. ne qvid in loc. publ. l. 4. C. de emanc. l. 7. C. de prec. Imp. off.* Et imò istiusmodi rescripta ob & subreptionis vitium vix evitabunt. An autem ea ipso jure sint nulla juxta Matth. Wesenb. *Cons. 43. num. 28. & seqq.* an verô per exceptionem demum sub & obreptionis sint enervanda, prouti Ernest. Cothm. *volum. 4. cons. 12. n. 83. & seqq.* sentit, disqvirere ex propositi ratione parum interesse videtur. Satius duco, Lectori salvum relinqvere judicium. Interim non desunt, qvi ex potestatis, ut vocant, plenitudine Principem in tertii præjudicium alicui qvid concedere posse, & ejusmodi clausulam *de plenitudine potestatis*, rescripto subjectam adeò efficacem esse, ut omnes alias clausulas virtute suâ superare censeatur. Sed verô nil ulterius reponam, qvàm qvod hæc potestatis plenitudo, in sensu prædicto accepta,

nil

nil nisi commentum sit, & conficta ab illis, qvi Aulæ favent, & qværcunqve Principis facta defensitare satagunt. Illa eqvidem plenitudo abusus potius qvàm usus legitimæ potestatis tyrannidiq; proxima meritò censetur Lud. Molin, *de J.& J.tract.2.disp.174.* Ferdin. Vasq. *controv.illustr.l.1.c.15.* Reinh. Bach. *ad Treutl. vol.1. disp.1. th.5. lit. A.* Dn. Georg. Ad. Struve *Synt. Jur. Feud. c.5. pos.6.n.4.*

XXI. Accuratior itaqve glossæ efformatio casus, in d.l. contenti, totum dissolvere videtur difficultatis, si qvæ subest, nodum. Ponit eqvidem, Imperatori supplicantem Debitorem tota die à Creditore divexari, dum idipsum, qvô ei obstrictus hæret, exigit anxiè, & petere proinde rescriptum, ne intra certum tempus, qvinqvennium e.g. ipsum imposterum convenire possit. Id qvidem Imperator largitus, vicissim autem, qvominus in perpetuum à Creditore conveniri possit, denegavit; Qvoniam id, qvod totius negotii cognitionem tollit, & vires principalis negotii exhaurit, sine gravi partis alterius dispendio convelli i.e. relaxari non potest. Et hâc ipsâ interpretatione arrepta ante deducta neqvaqvam superstit iniqvitas, qvâ Cujacii sententia incusari omninò potest, nec ulla ulterius coget necessitas, ut communem ac vulgarem textûs lectionem mutemus, pro *permittitur* legendo *remittitur*. Hôc ipsô enim, dum Princeps moram hanc Debitori concedit, Creditori jus qvæsitum non aufert, sed differt tantùm ex boni non minus publici ratione, qvæ membra civilia ita invicem comparata exigit, ut altero alterum ad tempus sublevante totius corporis salus & perpetuitas promoveatur, qvam qvod Creditoris præjudicium adeò magnum in mora modici temporis non vertatur. Anton. Perez. & Dn. Joh. Brunnem. ad *l.2.C.de prec.Imp.off.*

XXII. Cæterum, data hac occasione, nec Antonii Fabri, qvi hactenus Cujacio, moram dandarum debitori induciarum ex sæpè adductâ d.l.2. probari non posse censenti subscripsit, sententia intacta penitus relinqvenda. Putat nimirum, remitti in d.l. actori exceptionem dilatoriam, non causæ merita, sed personas judicii concernentem: Eâ potissimum ratione motus, qvia sic Princeps Adversarii juri nihil detrahere, sed judicii tantùm ordinandi rationem immutare videtur. Et eò tandem Faber dilabitur, ut citato superius loco nullum in Jure nostro locum dari, ex qvô rescripta qvinqvennalia, imô nec annalia qvidem commodè satis probari possint, scribere non vereatur. Sed enim hæc Fabri interpretatio, fabrino excogitata cerebro, in meris planè consistit conjecturis, & communi Doctorum interpretationi directò repugnat. Qvin imò ejusmodi exceptionum dilatoriarum, qvæ judicii concernunt ordinem, remissio gravius aliqvando præjudicium reo creare adsolet, qvàm Creditori nostræ induciæ adferre possunt. Minus itaq; multo remitti poterunt à Principe; id qvod tamen Faber sponte largitur. Certè si Princeps rescripto aliqvo exceptionem recusationis Judicis suspecti, præventionis, & legitimationis reo adimere velit, qvotusqvisq; qvæsò negaturus, reo nil nisi insignem inferri injuriam. Cùm vicissim concessis à Principe debitori induciis jus crediti salvum integrumq;, penes Creditorem remaneat, eo per idoneam cautionem securo satis reddito; nec minus ipsemet Faber concedere necesse habet, id qvod differtur, non auferri protinus. Et, qvod magis Fabri interpretationem convellere videtur, exceptionem procuratoriam militi Procuratorio nomine in judicio comparenti objiciendam, utut non causæ merita, sed personam judicii accessoriam

ea respiciat, nullo Principis rescripto adimi posse satis adparet ex rescripto Alexandri Imperatoris in *l. 7. C. de procur.*

XXIII. Licet autem Principi potestas non sit denegãda, qvâ causam ita alicui committere possit, ut ipse rejectis exceptionibus dilatoriis in principali procedat causa per *cap. 13. X. de off. & pot. jud. de leg.* eò tamen casu illæ tantùm exceptiones subintelligendæ, qvæ causam frustrà protelant, aut etiam de apicibus juris & frivolæ existunt. Zanger. *de except. p. 2. c. ult. n. 18.* Andr. Gail. *observ. pract. lib. 1. obs. 33. n. 5.* Osvvald. Hillig. *ad Donell. lib. 22. c. 9. lit. E.* Qvoties insuper miserationis ratio Principem impulit ad has inducias debitori, fortunæ adversitate ad calamitatem redacto, indulgendas, toties sanè pro actore ratio adeò evidens atq; sufficiens vix militare poterit, qvæ dilatoriam hanc concessionem qvoqvo modo injustam reddere, aut ut reo iterum auferatur, svadere possit. Mihi itaqve persvasissimum, ex sæpè allegatâ l. 2. nostras inducias aptè satis probari posse.

XXIV. Sed ulterius insistit Faber unà cum Cujacio: non satis sibi cohærere textum, nec partem posteriorem priori aptè respondere, si hæc de concessione Reo facta explicetur, cùm illa de remissione exceptionis peremtoriæ, qvæ actori denegatur, tractet. Verùm nulla hîc latet difficultas: sensus satis clarus atqve perspicuus, si priorem partem de exceptione dilatoriâ nondum competente intelligamus, eamq; , vel ex eâ ratione, qvod jus Creditoris non intervertat planè, sed suspendat tantùm, concedi posse, peremtoriam autem & jam competentem convelli i. e. relaxari non posse. Eodem ferè redit Hilligeri explicatio, loco supra citato ita dicentis: *Elegantior oppositio hoc modo: q. d. Imp. Debitori sanè ex miseratione dilationes & induciæ à*

 nobis

nobis haud ægrè indulgentur. Creditori autem qvi exceptione perpetua removetur tantum abest, ut unqvam act. efficacem concedamus, ut & ejusmodi petitionem fieri districtè nolimus & probibeamus. Restat alter textus in *l. 4. 6. de precib. Imp. off.* ex qvô Cujacius qvidem inducias nostras originem habere concedit, Faber autem ab eô discessum facit, eum vel de dilationibus modici temporis, vel de qvinqvennalibus qvas Creditores volentes debitoribus suis egenis tribuere interdum assolent, interpretando. Sed verô neutro casu principali opus esset rescripto: Sicut enim ad illas Judicis sufficit potestas, ita has vel sola partium conventio producere efficacissimè potest. Nec desunt textus in recentioribus Imperii constitutionibus: videri eqvidem possunt Reformation guter Policey de Anno 1548. tit. von verdorbenen Kauffleuten/ §. und nach deme sie zu Zeiten / item Policey-Ordnung in Franckfurth de Anno 1577. §. Wenn auch solche. Patescit illico ex illis, nostras inducias per Germaniam omni ævo freqventatas esse. Et hæc de origine nostrarum qvinqvennalium & fundamentis, qvæ illæ in jure Romano nactæ, dixisse sat esto.

XXV. Ordinis ratio jam expostulare videtur, ut nostras qvinqvennales omni eximerem injustitia, qva contaminatæ prima adparent fronte, daremq; unà demonstratum, juri qvoqve naturæ eas non repugnare, satis potius conformes esse. Certè Creditoris jura non minus, qvàm vinculum, qvo debitor Spontaneo se ipsi devinctum fecit motu, penitius ponderanti, occultam hic latere iniqvitatem, videbitur. Etenim, ut initio sibi egregiè consultum prospectumq; censuit Debitor, eô ipsô, qvo Creditor ipsius sublevavit inopiam, qvâ alioqvin extrema experiri habuisset necessum; ita nec inposterum, si Creditor jure suo utatur

tur

tur rigorosè, &, usqve ad peram ſaccumq;, credita ſua perſeqvatur, id ipſum ægrè ferre debet. Potius, eò magis ſolicitiusq; id omni niſu viribusq; laborare debitori competiisſe, ut fidei datæ ſe eximeret vinculo, qvo majori neceſſitate presſus eò tempore, qvò promtam ſui Creditoris optavit anxiè expertusve largiter benevolentiam, nemini non videri posſet. Ad partes præprimis vocato proprio Creditoris commodo, cui promovendo propriis inſervire opibus interea temporis potuisſet, qvo urgenti alterius neceſſitati obviam ire ſatius duxit: Utut cæteroqvin regulariter charitatis ordinatæ, qvâ homo homini vel ſolius cognationis, à natura juxta Florentinum in *l. 3. ff. de J. & J.* inter omnes conſtitutæ, intuitu ſuppetias ferre obſtrictus, ratio ipſum non adeò obligaverit, ut propriæ ſui ipſius dilectioni proximi ſui ſalutem præferre debuerit; cùm illa à ſe ipſa incipiat, & ſeipſam hujus normam regulamq;, juxta qvam ea dimetienda inſtituendave, perpetuò conſtituat. Qvod ſi igitur Creditor cognationis communis, &, qvæ ex eâ fluit, dilectionis rationem, ſuccurrendo inopiæ proximi ſui, ſedulò habeat, deinceps autem ipſemet dubiam periculi aleam experiri debeat, nonne idipſum charitatis legitimæ leges immanè qvantum everteret, &, ut qvis cum propriâ jactura alterius invigilarit utilitatibus, triſti efficeret eventu.

XXVI. Sed verò, inverterem ego argumentum à charitate petitum; ſupponendo tamen terminos habiles, qvibus Debitor ex infortunio citra ullam culpam ad extremam redactus inediam. Eò ſanè caſu Creditor contra charitatem ageret, ſi adflicto ſatis actione & executione ulteriorem adderet adflictionem, exutus omni commiſeratione, qvâ calamitatem proximi ſui erigere potius & ſolari potuisſet ac debuisſet. Et licet fortè principium charitatis adeò

effi-

efficax censeri non possit, ut qvis juri suo eapropter renunciare debeat, potius, qvi eo utitur, nemini injuriam facere perhibeatur; Fortius tamen adest principium, qvod observare Creditori conveniet. Neqve minus enim & ipse fortunæ subjectus ludibrio: Qvid enim si in eum deprimatur statum, in qvô non modò alterius indigeat ope auxiliove, sed prematur insuper ab illis, qvorum favorem ante expertus, i.e. Creditoribus suis: nonne anxiè optabit, ut induerent illi aliam mentem, rigorem in pristinum convertentes amorem? Qvod si igitur idipsum sibi in extremitate constituto fieri velit, ex implantata naturæ lege & alii eadem fortuna laboranti faciat; Nisi transgressionis illius reum se facere malit. Non dicam, qvemvis ex Civium numero tanqvam membrum obligari magis ad alterius membri conservationem qvàm interitum, qvi aliqvando & ipsius, & tandem totius corporis, ruinam secum ducere posset; non secus ac in corpore naturali, si unum vel alterum membrum morbo aut adfectu laboret, cætera compassione suà suam qvasi contestentur commiserationem. Qvod si igitur deprehendat Princeps, ceu caput civilis corporis, creditores idipsum, qvod tàm honestatis, qvàm communis cognationis charitatisve ratio ipsis imponit, vel rarissime, vel plane non attendere, dura potius fronte calamitosam debitorum suorum conditionem flocci pendendo exeqvi ea, qvæ juris rigor iisdem subministrare videtur, satius ducere, è re faciet publica, si civili constitutione, ut Creditor meliorem indueret mentem, Debitorisq; sui calamitatem animo magis magisq; subduceret, efficiat.

XXVII. Qvin imò moralium rerum Doctorum eò progrediuntur sententiæ, ut, extremis pressum angustiis rem etiam alienam posse occupare, qvò sibi suæq; consulere

lere valeat necessitati, adferant. Duplici potissimum moventur ratione; tùm qvia in extremâ necessitate ad eam sublevandam omnia censentur communia, & ideô, qvia contrectans jure suo utitur, dominum eidem consentire teneri, proindeq; , qvicqvid is facit, non invito id fieri Domino; tùm qvia *finis*, utar verbis Leonhardi Lessii de J. & J. lib. 2. c. 12. dub. 12. n. 68. *rerum inferiorum est, ut hominibus in necessitate sint subsidio, & ut homines per illas possint vitam conservare & tueri, ac proinde omnibus à natura hoc jus competit. Neq; divisio jure gentium introducta potuit hoc jus adimere: qvia jus gentium supponit, non evertit jus naturale, præsertim qvod tantopere necessarium ad vitæ conservationem. Censeri itaq; debet divisio esse facta reservato cuiq; jure naturali, qvatenus erat necessarium ad vitam tuendam: alioqvin non esset rationabili modo facta.* Qvin imò idem ipse Lessius *n. 71. probabile* esse, ait, *aliqvem non solùm in extrema, sed etiam gravi necessitate morbi, famis, nuditatis, ab opulentis si aliter grave illud malum avertere neqveat, aliqvid clanculum subripere posse.* Qvod si tamen Dominus pari laboret necessitate, aut cesset inopia, qva ante qvis adfectus, fallere prædictam sententiam omnes fatentur; Qvia in pari causâ melior potiorvè conditio Creditoris possidentis. Vide insuper Domin. Soto de *J. & J. l. 5. qvæst. 3. art. 4.* Didacus Covaruv, *in relectionibus ad capit. peccatum part. 1. n. 2.* ut & *part. 2. §. 1. n. 3.* Johannes de Lugo *de J. & J. disput. 21. sect. 1. n. 6.* Hugo Grot. *de J. B. & P. lib. 2. c. 2. n. 6.* & novissimè Anton. Perez. *in Præl. ad C. de furtis n. 10.*

XXVIII. Qvod si igitur vera esset hæc Moralistarum doctrina, adplicatio perfacilis & in promtu esset, Debitorem nimirum, cum extremâ conflictantem inopiâ, perdurante eâ, à suô Creditore justo minus compelli ad restituendum

endum debitum, ne alioqvin ipse deperire habeat necesse. Sed verò utut de priori, tum ob defectum legalis dispositionis, tùm qvod eò qvoqve casu adsit fraudulenta rei alienæ invito Domino facta contrectatio, meritò addubitat Dn. Caspar. Ziegl. in *not. ad Inst. Juris Canon. lib. 4. tit. 6. §. 5.* nec non Dn. Johan. Otto Tabor *in crimin. defin. racemat. rac. 3. n. 36.* qvi insimul argumentis, qvibus diversum sentientes moventur, eruditè satisfacit; Mihi tamen hæc vel eà fini adduxisse sufficiat, ut dilucesceret eò magis, qvàm impensè miserorum Debitorum conditioni faveant nonnulli, eumqve favorem acriter ac pro virili defensitent. Nec minus tamen è contrariò adpareat, qvàm inhumani existant Creditores, omnemq; civilis societatis rationem, qvam tamen ipsis cordi curæq; habere conveniret, susq; deq; habeant, qvotqvot non prius exsatiati, qvàm Debitore nexu se liberante; non attento planè, postremissimam eâ ratione in eum derivatum iri ruinam. Sed verò regerat urgeatqve Creditor, se in exigendo credito jure suo uti, qvô nè principali qvidem autoritate possit privari; Sed enim, repono ego, dari ratione circumstantiarum jus justo melius juxta Philosophum *lib. 5, Eth. c. 14.* & obtinere hoc ipsum non minus in civili qvàm naturali jure.

XXIX. Res tota exemplo reddetur clarior. Certè licet exuberans fides, ad qvam depositarius in re depositâ custodiendâ se obstrinxit, exigat rigorosè, ut rem ipsam custodiæ suæ demandatam restitueret, *l. 11. C. depositi.* casus tamen obveniunt, qvibus hæc restituendi necessitas, salvâ æqvitate, juris rigori perpetuo præferendâ, locum obtinere neqvit. Qvid enim, si penes aliqvem gladius deponatur, & is deinceps mentis inopiâ laborare incipiat, ut illius copiâ necem facilè sibi inferre possit? Qvid si fur rem furtô

sub-

ſubtractam penes tertium deponat, deinceps autem cum Domino rem furtivam repetiturô concurrat? Qvid tandem, ſi res furtiva veri Domini cuſtodiæ demandetur? Hiſce ſanè & non disſimilis farinæ caſibus obvenientibus circumſtantiarum dubio procul operatura diverſitas, ut recedendum omnino ab eô, cui alioqvi ſubjectus fuisſet depoſitarius, rigore. Thom. *2.2. q. 62. art. 5. ad 1.* Henric. Hahn. *ad Weſenb. tit. depoſiti n. 5.* Adplicatio jam facilis: Jus nimirum creditori exigendi creditum ſuum non denegandum; modô æqvitatis principia non offendat, & id, qvod pro circumſtantiarum ratione minus æqvum, injuriæqvè propius accedit, committat. Ex qvibus ſatis diluceſcit, concurrere qvandoqve & collidere principia, qvorum alterum alteri primò intuitu directô repugnare videtur, qvorum conciliatio tamen ſi non directô ſemper, ad minimum tamen per indirectum obtineri poteſt; utrisq; cæteris paribus, ſalvis verisq; permanentibus.

XXX. Qvamvis itaq; Creditor exigere creditum à Debitore posſit qvàm rigoroſè; id tamen in theſi tantùm verum dixerim, qvoties verò in hypotheſi Debitoris miſeria, in qvam ipſe citra culpam projectus, ad partes trahenda, diverſa longè & mitior ſententia ex parte Debitoris ferenda: accedente præprimis Principis auctoritate, cui vigore imperii reſcripto peculiari Subditos intra æqvitatis limites continere fas omnino. Nec eſt, de qvo Creditor conqveri posſit; cùm, ceu ſupra pluribus adductum, exactio crediti ſui non auferatur ei, ſed ex prægnanti urgentiqve cauſa differatur tantùm, neq; magnum adeò damnum ex morâ modici temporis juxta Reſponſum Ulpiani in *l. 21. ff. de judic.* ipſi accedat. Ne dicam, qvantum Reipubl. interſit, cumprimis verò tempore neceſſitatis Subditos non ita ad

inopiam compelli, *ut disserente Justiniano* in Nov. 8. præfat. *ad novissimam ipsi penuriam devenire fluctuentur, & neq; consveta & legitima tributa, & pro veritate pias functiones secundum publicum censum possint sine maximâ necessitate persolvere.* Multa paucis complectitur Dn. Dav. Mæv. *in discuss. lev. inop. debit. c. 4 sect. 8. n. 2. non opus est*, inqviens, *prolixius de jure talium induciarum disputare, postqvam ea videmus exigi â necessitate, svaderi per humanitatem, deberi ob æqvitatem, negari non posse sine immanitate, non impugnari sine malignitate, indulgeri cum Creditorum utilitate, adprobari justâ ratione, exerceri ubiq; in orbe, & velut ex gentium consensu, corroborari civitatum legibus.* Et hæc etiam de justitia qvinqvennalium nostrarum dicta sunto.

XXXI. Ex ordinis ratione jam ad causam efficientem nostrarum qvinqvennalium digredi placet. Confestim hic off ndunt qvi privatæ qvoq; creditoris benevolentiæ & judicis simul cujusvis potestati hujus juris sanctitatem adscribere non dubitant: duplices proinde inducias confingentes; alias gratiosas, alias Justitiæ. Illarum concessionem uti soli Principi tribuunt; ita vicissim has majorem partem Creditorum debitori concedere posse adserunt. Et imò concludunt nonnulli ab induciis â privato Creditore concessis ad nostras qvinqvennales hôc modô. Si creditores omnes aut major pars inducias rectè indulget, qvi tamen privati sunt, qvidni id liceat Principi de Jurisdictione & regalibus ab Imperatore investito, Matth. Stephani *de jurisdict. lib. 2 p. 1. c. 7. n. 389.* Oppidô eqvidem ingentem, qvæ hic latet, diversitatem, eâq; supposita confusionem deprehendere licet. Eas eqvidem inducias, qvas Creditor suo benevolè largitur Debitori, in dubium nolo vocare; cum eô tamen jure, qvo Princeps Subditis debitoribus no-

stras

ſtras impertitur qvinqvennales, easdem egregiè confundi, confiteri necesſum habeo. Priores certè ſolâ creditoris nituntur benevolentia, & vulgari illô, qvô juxta, *l. pen. C. de pact.* qvivis juri pro ſe introducto renunciare poteſt, jure; Cum noſtris ideò induciis neqvaqvam confundendæ; qvippe qvæ ſoli Principis gratiæ ſuam debent originem, & qvidem invitis plerumq; Creditoribus, debitores ſuos ſeverisſimè non rarò inſectantibus.

XXXII. Qvantum itaqve jus alicui competens & privatâ deinceps remisſum conventione ab eô differt, qvod ſanctâ Principis nititur auctoritate; tantum qvoqve diſtant eæ induciæ, qvas debitor creditoris adſignare debet favori, ab illis, qvas inpræſentiarum penſi habemus; alioqvin enim ea, qvæ in privati conſiſtunt ſubſiſtuntqve arbitrio, non citra inſignem abſurditatem cum iis, qvæ principalem unicè ſupponunt indulgentiam gratiamq;, mirificè confunderentur. Et imò ipſi disſentientes ingens adhuc dubium moveri posſe non improbabiliter conjiciunt. Suppoſito etenim caſu plurium Creditorum concurrentium, plerosqve qvidem adeò benevolos esſe, ut ſuis per temporis ſpatium conniveant Debitoribus; Id ipſum tamen cæterorum juri neqvicqvam poterit detrimento esſe: ne aliàs alteri per alterum iniqva inferatur conditio contra *L. 7. §. fin. & ſeqq. ff. de pact. l. 74. de R. I.* Necesſe ideò, ducunt, ad Principis confugere auctoritatem, defectum hunc ſupplere valentem. Sed verò, cùm ea, qvæ privatorum ſubjecta arbitrio, non facilè illorum actuum claſsi inſerenda, qvi ſuam exiſtentiam principali tantùm debent clementiæ; idcircò ſatis adparere puto, qvàm egregiè ſibi conſtent diverſum ſentientes, diverſisſima enixè confundendo.

XXXIII. Videtur qvidem primo intuitu illorum ſententiam firmare *lex fin. C. qvi bon. ced. poſſ.* Verum conceptus is textus de illis induciis, qvas Creditores ſuis permittunt Debitoribus, &, ut permittant, è re ipſorum qvandoqve esſe videtur, cùm Debitor eas impetrando legalis cesſionis beneficio renunciare adeô videatur, ut nec elapſo qvinqvennio eô uti posſit, ne aliàs Creditor duplici ſubjiciatur oneri, Anton. Perez. *prel. ad C. d. t. n. 24 & 25.* Dn. Joh. Brunnem. *Comment. in C. ad d. l. fin.* Qvinimò ſi major pars Creditorum has inducias debitori concesſerit, id reliqvis etiam Creditoribus, non ſolùm chirographariis, ſed & hypothecariis haud conſentientibus nocere firmat Carpzovius *jurispr. for. p. 2. conſtit. 21. defin. 29.* utut disſentiat Matthæus Col. *de proceſſ. execut. part. 1. c. 4. n. 16.* Magis autem mirari ſubit, Antonium Fabrum *decad. 25. error. pragm. 3.* eò erroris lapſum esſe, ut Principem qvidem Debitori invitis etiam Creditoribus cesſionis beneficium indulgere olim potuisſe, noſtras autem inducias non niſi volentibus & conſentientibus iisdem. Ac ſi Princeps ad exercendum jus illud, qvô jure imperii actibus civilibus modisq; , rerum dominia acqvirendi, lege præſcripta modum ponere poteſt, Subditorum conſenſum àc voluntatem ad partes vocare debeat. Qvod ſi auferret creditori ſine causâ prægnantisſimâ, publicam necesſitatem vel utilitatem reſpiciente, jus qvæſitum, officii cælitus impoſiti excederet limites, refragando præceptis legis cordi ſuo divinitus implantatæ. Sed verò concedendo noſtras inducias & differendo tantùm exactionem de rigore competentem id agit unicè, ad qvod ipſe non modò, ſed omnes inſuper Subditi ceu membra corporis civilis obligantur.

XXXIV. De cætero nec Judicis poteſtas eminentius

hoc

hoc qvinqvennalium concedendarum jus ingreditur: neqve enim ea eò extendenda, ut illâ Creditori ullum advocare valeat præjudicium; cùm executio potius Juris, utut rigorosisſimi, huic competentis eidem ſit demandata, & cum legibus ſe ſubjectum fateri necesſe habeat, idcircò ſecundum leges qvoqve ipſi procedere conveniet. Qvin imò Judex uſurpando licentiam noſtras tribuendi inducias, nihil non modò agit, eò, qvod Debitoribus eæ ne qvicqvam ſint profuturæ: ſed & cavendum eidem, ne violatæ Majeſtatis crimen incurrat. Abſit qvidem, omnem dilationes concedendi poteſtatem denegare Judici, ad præſentes tamen inducias, eminentiorem longè poteſtatem reqvirentes, eam extendere nec rationis eſt nec necesſitatis. Et imò, qvantacunqve etiam poteſtas Judici competit, ea ſemper Principem agnoſcit Autorem, ejusqve ſubjecta eſt moderamini ac diſpoſitioni. Relinqvitur judicantis arbitrio debitoribus fiſcalibus, petentibus ad comparandam pecuniam dilationem concedere, ſed concesſio illa principali circumſcripta auctoritate: *Ut in majoribus enim*, inqvit Paulus in *l.45. §.14. ff. de J.F. ſummis non plusqvam tres menſes, in minoribus verò non plus qvàm duo prorogentur.* Hanc dilationum determinationem Judici excedere minimè omnium licere, ſanctiorem Imperatoris potius, ſi qva necesſitatis ratio longiorem prolixioremve dilationem expoſtulet, auctoritatem implorandam esſe, ſatis ſuperq; innuunt verba allegati textus ultima: *Prolixioris autem temporis ſpacium ab Imperatore poſtulandum eſt.*

XXXV. Qvid, (ut ulteriori utamur exemplo) ſi debitor convictus condemnatusq; paratus qvidem promtusqve exiſtat adſolvendum, necesſitate autem coactus dilationem petat à Judice ſuo, interea cavendo Creditori? Reſpon-

spondet Ulpianus in *l. 21. ff. de judiciis* audiendum eum, dandumqve diem cum competenti cautelâ adsolvendam pecuniam. Saxonico præprimis jure eô casu Judicis præscriptum sex hebdomadarum & trium dierum spacium, ab Autore suo Sächsische Frist/adpellatum. Et licet Judici, etiam qvatenus Judicis defungitur officio, omnem potestatem qvà dilationis concesſionem nolim denegare, ea tamen omnis certam tantùm & particularem concernit causam, non secus ac conventio privati alio licet fundamento nitentis; Rescriptum vicisſim Principis ad omnes æqve in universum Creditores ac causas obvenientes se extendere potest. Remotô itaqve & debitoris & Judicis qvà substratam materiam arbitrio soli Principi potestas concedendi inducias debitoribus propriô adserenda jure. Nec diversum admittere videtur conditio juris nostri. Præterqvam enim qvod eximere aliqvem à communibus juris regulis, omnes alioqvi obligantibus, procesſusqve judiciarios, creditoribus competentes, iisdem invitis suspendere, non nisi illius sit qvi civili exemtus lege; accedit insuper, qvod mercatores potisſimum hisce indigeant privilegiis, & Principi non minus ac rei intersit publicæ, florere mercimonia ac incrementa capesſere de die in diem; ut ideò ex iis satis patere opiner, jus concedendi nostras inducias principalibus omninò asſignandum reservatis.

XXXVI. Nè autem Juris hodiernum Imperii nostri statum concernentis rationem susqve deqve penitus habuisse videremur, esſet necesſe, ut, an hodienum nostras concedendi inducias soli competat Imperatori, disqvireremus. Et accideret omninò decisio ipsa satis facilis, modò ratio decidendi suâ non laboraret difficultate. Decisum eqvidem hactenus, Principes qvoqve ac Status Imperii nostras

ſtras inducias debitoribus propriâ concedere auctoritate; ex qvô autem fundamento hæc αὐτοκρατορία petenda, inter Rerumpubl. Scriptores nondum ſatis convenit. Notum enim, Ducum, Comitum, Baronum dignitatem poteſtatemqve olim non propriam nec perpetuam aut ad heredes tranſitoriam, ſed temporariam & adminiſtratoriam ſeu procuratoriam Imperii alieni fuisſe, perinde ac apud Romanos, Proconſules, Præſides, Qvæſtores alienæ poteſtatis functionem gerebant. Andr. Knich. *de jure Territ. c. 3. n. 312. & 860.* Matth. Stephani *de Jurisd. lib. 1. p. 2. c. 6. n. 4. & ſeq.* Anton. Coler. *de Imperio Rom. Germ. concl. 57.* Scipio Gentil. *de Jurisd. lib. 3. c. 23.* Oſvvald. Hillig. *Donell. enucl. l. 17. c. 9. lit. H.* Ut proinde de illis temporibus res clara & extra omne dubium poſita meritò videatur, iisdem Duces aliosqve, noſtrum jus induciarum ſibi arrogare haud qvaqvam potuiſſe: Osſibus potius ſolius Imperatoris inſeparabiliter adhæſisſe, natura illius ſtatus & conditio monſtrat abunde. Unde autem factum, ut ſucceſſu temporum Duces Comitesve ea qvoqve jura propriô & hereditariô exercere cæperint jure, qvæ ante Imperatoris poteſtati propria, admisſi ſic in conſortium Majeſtatis, hîc inveſtigare esſet res & maximi præjudicii & prolixisſimi negotii.

XXXVII. Certum interim eſt, Ducatus, Comitatus ac reliqvas illius generis dignitates non uno ſtatim impetu, multò minus publicâ ſanctione interveniente hereditariæ propriæqve posſesſionis nomina induisſe, ſed ſenſim potius id factum esſe, perqꝫ varias temporum intercapedines multis interjectis vicisſitudinibus. Mihi tamen vicisſim qvàm perſvaſisſimum, hæc Procerum jura eorumqve qvotidiana incrementa dedisſe occaſionem Doctoribus ea cum ipſius Cæſaris juribus æqviparandi ac de utrisqꝫ

æqvale fermè judicium ferendi, peculiari planè regula sententiam, qvæ animo sedet, comprehendentes: *Status Imperii tantum posse in suis territoriis, qvantum Imperator in totò Imperio.* Fuse satis Reinh.Bachov.*ad Treutler.v.1.disp.23.th.1.lit.C.*disserit: *Principes Germaniæ, qvi qvantum Imperator in Imperio, tantum & plus in territorio suo possunt, non simplicis Magistratus, sed jure superioritatis, & Regalium, imò etiam qvodam jure Majestatis statuta in provinciis suis condunt. Etenim Principum horum potestas jam est perpetua, irrevocabilis, jure qvodam regio competens, & qvadam αὐτοκρατορεία. & obtinent illi ditiones dignatione regia, habent jura regia, & omne jus superioritatis, & eam ratione subditorum potestatem, qvam Imperator, & illorum respectu par jus habent cum eo, qvi superiorem non agnoscit, & cum ipso Imperatore & Regibus sunt comparandi, & in terris suis regalia & jura Majestatis habent & exercent, & nominatim jus condendi & mutandi leges, qvas etiam Imperialis Camera in judicando attendere tenetur: adeò ut in hos principes etiam crimen majestatis, licet non eadem gravitate pœna puniendum, committatur.*

XXXVIII. Hujus qvidem opinionis antesignanum Paulum Castrensem, Caspar Klockius *de contribut. c. 4. n. 134.* perhibet, eumq; reliqvos more avium oviumq; balantium secutos esse tradit, hujus tamen brocardici usum Pauli Castrensis ætate antiqviorem longè fuisse vel ex eô constat, qvod Baldus ejusqve frater Angelius, nec non Præceptor illius Bartolus istô theoremate jam usi reperiantur, testibus Rudolpho Schradero *tract.Feud.part.10.sect.1.num.33.* Johan.Herm.Stam, *de servit.Person.lib.3.c.8.n.1.* Herm.Vultejo *vol. 1. cons. 16. n. 46.* Sive deniqve primordia hujus dicterii qvis ad tempora Rudolph. Habspurgensis, de qvo

Forstne-

Forstnerus *ad Tacit. Annal. lib. 13.* testatur, ipsum ut Procerum favorem eò magis sibi conciliaret, omnia principibus concessisse, qvis referre velit, parum, qvantum puto, interesse videtur, præprimis qvod rem ipsam longè antiqviorem esse ex jam dictis abundè patescat. Notasse hoc satis esto, communissimum ac vulgatissimum hoc elogium esse, adeò, ut Doctores ad prodigalitatem usqve id repetant Joh. Limn. *de J.P. lib. 4. c. 8. n. 6* Nicol. Myler. *de Statib. Imperii c. 15.* nec ullum fere librum lucem vidisse à JCtis conscriptum, qvi non hoc axiomate ornetur, ut disserit Waremund. ab Ehrenberg *de regni subsid. & onerib. Subdit. c. 15. num. 15.*

XXXIX. Et hujus tandem qvicqvid sit, sive id effatum adolationem magis aulicam qvàm veritatem politicam redolere, sive enormi insignive errore id confictum inductumq;, sive tandem id periculosum maximè esse, idq; operari, ut apud Principes imperiti eô abutantur aulici, qvis dixerit, verissimum tamen, illud ipsum viris citra omne dubium perspicacissimis, subtilissimis & tàm in Procerum qvàm ipsorum Cæsarum aulis & curiis admodum versatis, longâq; serie à Dn. Ahasvero Fritschio Consil. Aul. Rud. Schvvarzb. *exercit. J. P. 9. c. 8.* allegatis arrisisse, ut proinde iisdem communem impingere errorem nemo non secum subsisteret. Sed verò qvantum qvantum errorem periculumq; hic suspicentur, rem tamen facilem satis futuram puto, si id, qvod simpliciter hactenus ac generaliter acceptatum, restringatur ad casus terminosqve habiles: Cùm ea artis nostræ natura ac indoles sit, ut si regulas illius qvibusve casibus obvenientibus minus cautè & sine discrimine adplicare velis, id facilè, qvod justum in thesi, indueret naturam injusti in hypothesi. Ita enim limitationes ex-

ceptionesq; suis conformandæ regulis, ut harum non modò veritas in casibus non exceptis valida salvaqve servetur, sed &, ne jus ipsum, de qvo eædem conceptæ, facta adplicatione casus occurrentis insimuletur inexcusabilis contradictionis, & totius tandem, qvantacunqve etiam, in dubium vocetur veritas. Qvod si enim qvis jus creandi Principes, Comites, &c. nec minus erigendi Academias aliaqve sublimioris istius conditionis jura pensi habuerit, illicò eidem adparebit, laborare principium hactenus ventilatum, supposità ante aliatà adplicatione, fallacia à dicto secundum qvid ad dictum simpliciter. Nolo alia attingere, qvæ, vacillare immane qvantum simpliciter ac indeterminatè à potestate Imperatori in toto Imperio propria, ad Jura statui cuivis in sua competentia territorio, ductam seqvelam darent comprobatum. Remittere placet Lectorem cupidum ad Johan. Limn. *de J. P. lib. 4. c. 8. num. 8 & seqq.* Dn. Fritsch. *d. l.*

XL. De aliò itaqve principio, qvò Principes statusq; Imperii nostris literis moratoriis, qvas concedere alioqvi nonnisi τὸ κύριον sive summam possidenti potestatem permissum, obæratis succurrit Subditis, laborare convenit; ne id qvod de die in diem usu venire videmus, omni destitui fundamento nemini non videri possit. Nec aliud suppetere video, qvam præscriptionem, non qvidem qvamvis indistinctè, ob rei, de qvâ qvæstio, eminentiam, sed illam tantùm, qvæ hominis excedit memoriam. Omninò vel solam vocem, qva induciæ nostræ juribus potestatiq; Principis accensentur, efficere, primo videri posset intuitu, qvò minus præscriptionis fulcimentum in præsenti negotio ad partes vocari possit. Sed enim rem facilem futuram spero, dummodo ea jura, qvibus Subditi in signum subjectionis

nis & superioritatis suo obstricti Principi, ab illis, qvæ ratione dignitatis, qvâ in his pollet terris, supremæ, eidem præservantur, adeò, ut nullus præter ipsum ea valeat expedire, probè discernantur. Qvod si prioris qvæ sunt generis judicio subduxero, confestim mirari subit, Felinum ad *cap. 12. X. de præscript.* Fernandum Vasqvium *illustr. qvæst. lib. 2. c. 82.* eò dilapsum absurditatis, ut Subditi sive vi, sive Sponte tales esse cæperint, potestati, cui subjecti, se subtrahere, sive, ut ipse loqvitur, in suam laxitatem recipere ac eripere vel palam, vel clam, vel dolo vel vi aut armis jure suò possint, asseverare non verentur. Infringeret sanè turbaretq; insigniter pestifera hæc doctrina totum ordinem ac vinculum, qvo imperantes & obedientes in civili cohærent corpore, efficeretq; de facili, licet pertristi satis eventu, ut subditi malè præprimis feriati, illò, cui divinâ subjecti auctoritate, potestatis se eximere laborarent, nexu: nixi illis, qvos urgent Felinus ac Vasqvius, prætextibus. Adeò qvippe intrinseca est potestati Principis potestas præcipiendi, judicandi, castigandi suos Subditos, ut avelli ab ossibus illius neqveat, nisi totum destruere velis Principem. Sed verò cùm præsentis instituti non sit, falsò conceptis illius principiis refellendis inhærere pluribus, maximè, qvod alios jam dudum id operæ in se suscepisse deprehenderim; ideò remisisse Lectorem qvâ hæc etiam cupidum ad Andr. Gail. *obs. cam. lib. 1. c. 21. n. 15.* & *de P. P. c. 6. n. 11.* Didac. Covarruv. *in relect. ad cap. possessor malâ fidei de R. J. in 6. n. 9. & 10.* Leonhard. Less. *de J. & J. lib. 2. c. 6. dub. 12.* Joh. de Lugo *de J. & J. disp. 7. sect. 6. n. 85.*

XLI. Nobis in præsentiarum qvæstio de illis intercedit, qvæ qvidem Principis potestati non sunt intrinseca, adeò, ut illis Sublatis ipsam potestatem supremam tollere

 ne-

necesse habeas ad splendorem tamen illius majestatem & autoritatem tuendam pertinent, cujusmodi generis nostrarum etiam induciarum concessio perhibetur. Illa eqvidem præscriptione acqviri posse constans fere doctorū est sententia: dummodo acqvisitio ea non privativè sed cumulativè accipiatur. Henric. à Rosenthal. *tract. feud. c. 5. conclus. 18.* Nec qvævis insuper præscriptio, sed ea duntaxat intelligatur, cujus initium humanam excedit memoriam. Tempori eqvidem illius qvantitatis tanta efficacia hactenus transscripta, ut pro qvasi infinitô moraliter habeatur, & ideò ad rei qvoqve derelictæ pro qvâ alioqvi juxta principia juris nostri communia ingens præsumtio, conjecturam semper sufficere videatur Hug. Grot. *de J. B. & P. lib. 2. c. 4. n. 7.* Qvin imò nec bonam fidem, nisi notoria sit mala fides, nec titulum nec rei qvalitatem, modò commercio subjecta sit humano, in istiusmodi præscriptione attendendam esse tradit Dn. Georg. Adam Struve *Syntagm. Jurispr. exercit. 43. th. 23.* Nec minus illò tempore eas præscribi res, qvæ præscriptioni ordinariæ aliàs non subjectæ, decisum hucusqve. Qvidni itaqve ad nostras qvinqvennales id extendere liceret? Præsertim, qvod talis præscriptio æqviparetur privilegio & illi concessioni, qvæ alioqvi expressè fieri debet arg. *l. 3. §. 4. ff. de aqv. qvotid. & æstiv.* Niell. *disp. feud. 11. th. 1. lit. D.*

XLII. Neqve displicet planè argumentum, qvô Lessius citato ante loco utitur, id inducendo, qvoniam hæc jura sunt communicabilia, ideò etiam esse præscriptibilia, annuente præprimis qvotidianâ observantia. Jus certè pedagia, salinaria, gvidagia exigendi regalibus accenseri in aprico positum; Eo tamen non attento antiqva consvetudine, & tempore, cujus non extat memoria, acqviri posse rescri-

rescribit Pontifex *in cap. 26. X. de V. S.* Ex qvô fundamento de jure vectigalia exigendi concludit Joach. Mynſ. *obſ. cam. cent. 5. obſ. 29.* hiſce verbis: *Si ergò privilegio Principis novum vectigal institui poteſt, eâdem qvoq; ratione per immemoriale tempus induci poterit & ratificari. Præſumitur enim, Imperatorem, qvi tàm diu pasſus eſt vectigalia exigi, id permiſisſe, & ſic illa patientia habeatur pro conſenſu: Si tamen tanto tempore duravit, cujus initii non ſit memoria.* Conſulas etiam, velim, Joh. Sichard. *ad Cod. vectigalia inſtitui non poſſe n. 7.* Utut enim ex parte Principis conſiſtat præſumtio militetq; contra Subditos vigore juris communis; Eandem tamen ſubverti planè demonſtratione temporis immemorialis asſerit itidem Lesſius *d. l.* In genere demum regalia aliaq; principibus in ſignum ſpecialis, præeminentiæ reſervata præſcribi posſe tradit Joh. Schneid. *comm. ad Inſt. de uſuc. n. 33.* Didac. Covaruv. *d. l.* Herm. Vult. *de feud. l. 1. c. 9. n. 22.* Petr. Heig. *q. 13. n. 31.* Dn. Chriſt. Phil. Richter. *l. 1. deciſ. 21. n. 52.* An autem ſcientia Principis & patientia deſideretur præcisè, ut contra eum præſcriptio obtinere posſit, novum parit dubium. Covarruv. *d. l. n. 13.* hinc inde diſputat: alii Præſidis vel Magiſtratus loci ſcientiam ſufficere putant; nobis ſimplex negativa arridet. Ita qvippe cum hac præſcriptione temporis immemorialis res comparata, ut eodem effluxo, illius ſcientia, contra qvem ea currit, præſumatur: Nec minus eidem illa ipſa vis adſignatur, qvæ alioqvin eſt privilegii & concesſionis ſpecialiter factæ propria, Henr. à Roſenthal *tract. feud. c. 5. concl. 16.*

XLIII. Hæc itaqve de jure ac fundamento, qvô ſtatibus Imperii noſtri noſtras concedere inducias, aliaqve jura, qvæ olim Imperatoris ſolius propria, concesſum. Id tamen adhuc intereſt inter inducias ab Imperatore concesſ-

cessas, & eas, qvæ Principi aut alii Statui Imperii suam debent originem. Illæ enim sunt universales, per universum Imperium suam exerentes efficaciam: Harum verò virtus fines territorii Principis, à qvo impetratæ, excedere neqvit. *Et ideò nec Debitores*, sunt verba Dn. Dav. Mævii *discuss. levam. inop. deb. c. 4. n. 5. aliis in judiciis adversus arresta similesq; processus per hoc tuti sunt, nec Creditores concedenti non subjecti observare tenentur, nec, cum causa ad judicium superioris devenit, juxta id proceditur aut pronunciatur.*

XLIV. Hactenus de concedente inducias nostras, jam ordinis ratio exigit, ut de illis, qvibus eædem concedendæ, simus soliciti. Neqve enim omnibus indistinctè debitoribus easdem concedi convenit, cum, qvale qvale creditoris concernant præjudicium, dum ille differre exactionem sui debiti cogitur, qvam aliàs strictè & usqve ad peram ac saccum perseqvi potuisset. Qvid enim si Debitor bona sua abligurierit & propriâ culpa ad incitas redactus fuerit? Eò sane casu beneficio omni indignus meritò censebitur: nec turpitudo ipsi debet esse commodo, qvocunqve id ipsum contingere possit modo. Qvid si ob delictum commissum qvis pœna pecuniaria Debitor Reipubl. factus fuerit? Nec illi hoc beneficii genus tribuendum: ne alias per indirectum delicti punitio differatur, cujus tamen celerem executionem boni publici exigit ratio. Fiat potius sanctionis executio: qvi non habet in ære luat in corpore. *Nam malè meritus publicè* disserit Triphoninus in l. 31. in fin. pr. ff. depos. *ut exemplo aliis ad deterrenda maleficia sit, etiam egestate laborare debet.* Qvid porrò si debitum inficiatus sit? Qvid si fugam apprehenderit? His certè & non dissimilis farinæ casibus contingentibus, denegandas Debitori nostras inducias constans ferè Doctorum sententia Joh. Marqvard. *de Jur. Merc. & commerc. l. 1. c. 14. n. 57.*

XLV.

XLV. Qvid autem si debitor illi beneficio in obligatione renunciaverit, & qvidem, qvod magis est, mediante juramento? In eô qvoqve debito inducias nostras prodesse debitori adserit Dan. Moller. *l. 4. semestr. c. 6. n. 1.* eô nixus fundamento, qvia in ejusmodi juramentis autoritas superioris excepta perpetuò intelligitur. Sed verò, utut verum id sit, qvandocunq; res dubia est, fallit tamen, si eadem clara satis & liqvida. Nec Principis autoritati hic qvidqvam derogatur, sed solùm privati damnum vertitur: nec Imperator actui jur. to derogare velle intelligitur Matth. Coler. *de process. execut. part. 1. c. 4. n. 16.* Jacob. Menoch *de arbitr. Jud qvæst. cas. 403. n. 4.* Rol. à Valle *vol. 2. cons. 31. n. 13. & seqq.* Et licet Principi potestatem solvendi aliqvem jurisjurandi vinculo non denegemus, illis, qvi Pontificis reservatis illam accensent, directò obloqventes; Hic tamen non de potestate, sed voluntate qvæstio. Non illa, sed hæc hîc deficit, & rescriptum moratorium, non exposita ea qvalitate debitum juramento esse firmatum, sub & obreptitie impetratum esse censetur. Qvod si enim jurisjurandi mentionem fecerit Debitor, Princeps haud proclivis creditur ad indulgendas nostras qvinqvennales, nisi summa solvendi difficultas aut impossibilitas contrarium svadeat.

XLVI. Neqve enim confestim pro perjuro habendus, qvi constituto die non solvit, qvia qvantum in se est, obligationi satisfacere paratus existit, ob paupertatem autem non potest. Licet qvippe juramentum regulariter præcisè obliget, perpetuò tamen possibilitas ex parte tàm obligati qvàm rei in obligationem deductæ subintelligenda, cùm juramenti efficacia ad impossibilia minimè extendenda Dn. Henr. Hahn. *ad Wesenb. de cess. bonor. n. 3.*

F verb.

verb. *ab omni debitore.* Qvin imò licet tempore juramenti jurans notitiam habuerit illius difficultatis, nihilominus eum excusari à perjurio tradit Didac. Covarr. *in relect. ad cap. qvamvis 2, de pact. in 6, p. 2. §. 5. n. 4.* Qvod si tamen Princeps in rescripto juratæ renunciationis expressam faciat mentionem, qvod scil. eâ non obstante tenor literarum moratoriarũ firmus subsistere observariq; debeat, obtinere literas moratorias contra jurata qvoqve debita, non erit, qvi facile dubitabit: Supponens præcipue principia juramenti relaxationem Principi etiam seculari permittentia. Et qvamvis illa renunciatio juramento non sit roborata, qvin tamen ea interposita nostras inducias ulterius minimè obtineri posse, statuam, vel ex eô persvaderi potero, qvod regulariter qvivis juribus in sui favorem ac beneficium jure tâm generali qvâm speciali inductis, renunciandi polleat facultate *l. penult. C. de pact.*, & satis absurdum censeat Imperator noster, redire ad hoc, cui renunciandum ante putavit *l. 11. C. de reb. cred.* Sicut itaqve mediante illa renunciatione ex juris dispositione Jus aliqvod in illum, cujus favorem ea ipsa spectare potest, translatum; ita, eidem id auferri, nulla patiuntur jura.

XLVII. Nec movet argumentum, qvo Osvvald. Hillig. *d. l.* inductus, à denegata bonorum cessionis renunciatione, ad nostrum induciarum beneficium denegandum concludit. Præterqvam enim, qvod de priori non conveniant Doctores, seqvela insuper claudicare videtur: Carceris eqvidem durities, cui renunciantem beneficio cessionis contra naturalem libertatem, ceu servituti cuidam, aliisq; molestiis, in casu solutionis non secutæ, mancipare se velle præsumitur, nô protinse metuenda renuncianti nostris induciis. Ut proinde argumentum hoc à separa-

paratis ductum minimè procedat. Qvid tandem, si debitor facultatum bonorumq; qvantitate suppressa calamitatem tantùm simulaverit, adeò, ut non tantùm initio iis præditus fuerit bonis, qvibus suis ex asse satisfacere potuerit Creditoribus, sed & post exsolutum omne æs alienum nihilominus tantum retineat, qvantum ipsi ad vitam honestè transigendam sufficit? Certè, cùm delicta ac fraudes nemini debeant lucro commodove esse, idcirco nec in præsenti casu machinatio, qvâ, ut utar verbis Ulpiani in *l. 1. §. 2. ff. de dol. mal.* aliud simulatur, & aliud agitur, contrarium operari poterit effectum.

XLVIII. De cætero certum omninò & instar principii hîc suppono, nonnisi illos Debitores, qvi fortunæ adversitate ad extremam redacti inopiam, nostro qvinqvennalium beneficio dignos censendos: qvos eapropter Justinianus noster meritò infelices censet in *Novell. 4. & 135.* Nec qvicqvam interest, an Judæus, an verò Christianus fuerit, qvi copiam illarum desiderat; cùm non tàm religionis qvàm cognationis naturalis, qvâ Judæo æqve ac Christiano juncti Christiani, in præsenti negotio civili habenda sit ratio: præprimis qvod illum à jure illo participando exclusum nullibi locorum reperire liceat. Nec ulterius ex parte Debitoris interest, an singuli an vero collegium, universitas, aut Civitas, ut hujus beneficii compos fiat, Principi supplicetur. Ant. Fab. *in C. l. 1. tit. 9. def. 18.* Joh. Limn. *de J. P. l. 4. c. 8.* Dn. Dav. Mæv. *disc. lev. inop. deb. c. 4. num. 8.*

XLIX. Sicut autem ex parte Debitoris induciarum nostrarum impetratio civilium rationum intuitu certis deneganda casibus: Ita nec minus Creditoris conditio non rarò exigit, ut denegentur à Principe debitori qvin-

qvennales. Qvid enim si ea ita comparata, ut moræ nullus locus? Qvid si æqve inops sit, & æqvali cum Debitore laboret paupertate, aut majori prematur inedia, adeò, ut ipsi depereundum, nisi crediti restitutione sublevaretur? Certè, si in istiusmodi casibus Debitoribus nostræ moratoriæ concederentur, Jura Creditoris everterentur magis qvàm differrentur; id qvod Principem velle credendum non est. Qvid si post inducias à Debitore impetratas qvis eidem qvid crediderit? Itidem contra illum Debitorem neqvaqvam iisdem se tueri posse rectè asserunt Anton. Fab. *in Cod. tit. 9. def. 6. n. 4. & def. 20. n. 2.* Joh. Limn. *de J. P. lib. 4. c. 8. n. 342.* Gvid Pap. *decis. 109.* Joh. Marqvard. *de jur. mercat. lib. 1. c. 14. n. 46.* Et imò ipsius crediti natura ac conditio ita sæpenumero comparata, ut ex peculiaribus rationibus nostras inducias non admittat, & adeò qvidem, ut, licet jam tum principali autoritate eædem impetratæ, ad istius tamen generis debita non sint extendenda.

L. In qvorum classe primo qvasi loco ponenda ea, qvibus qvis Ecclesiæ aliisve piis caussis hæret obstrictus. Statim qvidem videri posset, Ecclesiæ eiqve præpositorum officio magis convenire, ut succurrant debitoribus egenis & tanqvam personis miseris illum exhibeant favorem, qvem ab aliis sibi præstari præoptant exiguntq; nonnunqvam rigorosè satis, qvàm ut iis, qvæ in Salutem ipsorum ac commodum civili inducta lege se subtrahere laborarent remediis, præsertim, qvod in aliis juris articulis ex vulgatâ regula privilegiatus contra æqvè privilegiatum non utatur privilegio. Sed verò, utut ea omnia facilè dederim, satis tamen constare puto, concurrentibus duobus principiis id prævalere, qvod fortissimum in hypothesi censetur. Admittam igitur, cui expositi debito-

res egeni, favorem, admittendum tamen & mihi majorem illius debiti esse censendum, qvo qvis Ecclesiæ multorum utplurimum miserorum hominum matri & alimentatrici obligatus. Qvamvis igitur debitor obæratus inducias satis aliàs favorabiles generaliter tamen conceptas à suô impetraverit Principe, absit tamen, ut eum illis ipsis contra Ecclesiam uti posse asseverarem; præsertim, qvod Principem eô tempore, qvô has largitus inducias, de ejusmodi privilegiatis Debitoribus vel non cogitasse, vel non ritè satis informatum, aut eas à Debitore per sub & obreptiônem impetratas esse, conjiciendum. Interea Ecclesiæ svadentium non improbaverim sententiam, ne privilegium suum acerbè nimis contra summâ oppressos paupertate exerceant: Cum egenorum causa res, ipsius qvoq; Ecclesiæ sua alioqvin natura inalienabiles, vendi & distrahi possint, juxta ea, qvæ Doctores ad *l. 21. C. de SS. Eccles.* notant.

LI. De debito insuper pupillari disqvirunt Doctores, an eidem nostræ qvinqvennales opponi possint? Vulgata qvidem in multis Juris nostri capitibus Ecclesiæ & pupillorum comparatio: Recepta tamen magis qvàm adprobata confirmatave legali auctoritate. Qvod si tamen ætatis favorem cùm extremâ egestatis compara verim necessitate, hanc illi præferre neqvicqvam dubitaverim: præsertim, si pupillo alia in promtu sint bona, qvibus se exhibere, vitamq; suam honestè transigere valeat, & proinde ex dilatione debitori suo concessa non adeò grave dispendium incurrat. Osvvald. Hillig. *ad Donell. l. 22. c. 9. lit. m.* Succedunt res penes debitorem depositæ, qvarum restitutionem prætextu qvinqvennalium nostrarum declinare aut differre neqvaqvam potest. Tantus eqvidem

ob

ob exuberantiam fidei, qvæ illi præprimis contractui propria, hujus perhibetur favor, tanta ex illô restituendi exurgit necessitas, ut ex Doctorum vulgari sententia ne qvidem ob impensas in rem depositam factas eam depositario tam diu retinere liceat, qvamdiu eædem ipsi non fuerint restitutæ *l.11.C.depos.l.fin.Cod.de compens.§.30 instit.de action.* Diversum qvidem qvà posteriorem disqvisitionem arridet *Bach.ad Treutler.vol.1.disp.26.th.5.lit.B.* Sed eum ex asse refutatum videre licet apud *Henr.Hahn.ad Wesenb.n.5.in verb.sine ullâ mora.* qvod depositi privilegium etiam ad causam commodati & pignoris extendunt Hillig.d.l.Limn.*de J.P.l.4.c.8.n.342.*Joh.Marqvard.*de Jur.merc.l.1.c.14.n.52.*

LII. Nec minus Classi rerum dictæ conditionis adscribunt pensiones ex re locata debitas, nec non pretia pro re vendita præstanda, utut ex alio fundamento, ne scil. conductor & fructus ex re conducta & pensionem simul percipiat, Emptor autem re & pretio contra bonam fidem simul utatur argumento *l.50.ff.de action.emt.l.5.C.eod.* Præprimis verò hæc procedunt in pretio rerum commestibilium seu eduliorum in foro venalitio emtorum, ne imminuatur contra boni publici rationem commercii illarum rerum vigor. Ant.Fab.*ad C.tit.9.Def.11.n.4.& 5.* Marq.*d.l.n.47.*Huc tandem referunt debita dotis, studiorum, ac alimentorum nomine, non ex aliâ ferè ratione, qvàm singulari, cui in aliis qvoqve Juris articulis eadem exposita, privilegio, de qvô Doctores hinc inde consulendi.

LIII. Ego relicto jam objecto induciarum nostrarum formalitati earundem manus mentemq; admoveo. Et cum fundamentum earundem miseriam debitoris &

cala-

calamitatem, in qvam citra suam culpam ex fortunæ inclementia conjectus, superius posuerim, ideò ante omnia reqvirunt Dd. ut causa infortunii supplicationi inseratur. Osvv. Hillig. *d. l. lit. H.* Anton. Faber. *lib. 1. C. tit. 9. def. 20. n. 2.* Huld. Euben. *in not. ad Anton. Perez. tit. de prec. Imp. off. lit. F.* adeò, ut si superior eâ non fuerit informatus, ne qvidem valeant literæ induciales. Joh. Zang. *de except. p. 2. cap. 11. n. 4.* Neqve ullum discrimen qvà casus infortunii, faciendum: Sive enim incendio, sive sterilitate, sive deniqve calamitate, bellorum tempori propria, opes & solvendi media debitori fuerint subtracta, parum interest. Sufficit, ipsum adeò ad incitas redactum, ut solvere debita sine extremo incommodo neqveat, Dav. Mœv. *disc. lev. inop. deb. c. 4. n. 8.* Spectant huc egregiè verba Decisionis Electoralis Saxonicæ 30. Hergegen denen jenigen/ so durch richtige beglaubte Urkunden bescheinigen / daß sie aus unversehenen/ ohne alle ihre Verwarlosung zugestandenen unglücklichen Fällen/ als wegen erlittenen Brandschadens/ Schiffbruchs/ Rauberey und dergleichen in Schulden und Verderben gerathen / vermittelst solches Anstands Linderung wiederfahren zu lassen / erfordert der Reichs-Abschied de anno 1577. und unsere bey Erörterung der in anno 1653. und 1657. eingegebenen Landes-Gravaminum erfolgte Erledigung.

LIV. Cùm autem sæpissimè accidat, ut Debitores, licet maximis etiam affecti damnis, tantas tamen adhuc possideant facultates, ut satisfacere omnino fidei datæ possint, ideò ulterius incumbit debitori, nostras inducias impetrare intendenti, docere calamitatem, & qvod sine suâ culpa ad eam redactus fuerit, qvàm luculentissimè. Id qvod omnium optimè fieri potest per testimonium Magistra-

giſtratus ſui, ſub qvô domicilium habet: is ipſe enim præ reliqvis ſtatum & conditionem Subditorum ſuorum ſcire præſumitur. Qvod ſi tamen id impetrare ipſi non liceat, aut infortunium in exteris & peregrinis debitori contingat terris, ut Magiſtratui de eô certi qvid conſtare non poſsit, vicem illius ſuſtinere poſſe alia qvoqve inſtrumenta fide digna probat ſatis alternativá diſpoſitio conſtitutionis Imperialis Reformation guter Policey zu Augſpurg anno 1548. tit. von verdorbenen Kauffleuthen in verb. So meinen wir hiermit ernſtlich / und wollen daß ihnen ſolche moratoria oder Qvinqvennell hinführo nicht mehr gegeben werden ſollen / Wir / Unſere Nachkommen / Römiſche Käyſer / oder Könige seyn denn von der Obrigkeit / darunter ſolche verdorbene oder auffgeſtandene Kauffleuth geſeſſen / zuvor eigentlich berichtet oder vergewiſſert. Oder / daß dieſelben Kauffleuth glaubliche Uhrkunden oder Schein vorbringen / daß ſie aus unverſehenen zugeſtandenen Unfällen / ihre Leib oder Güter verdorben und auffgeſtanden ſeyn / und daß in ſolchen Fällen die moratoria oder Qvinqvennell ſtat haben. Wo aber die anderer Geſtalt und mit verſchwiegener Warheit ausbracht oder erlanget werden / alsdenn ſollen ſie krafftloß und unfürträglich ſeyn / und dafür gehalten werden.

LV. Facti eqvidem eſt aliqvem jacturam bonorum ſuorum citra culpam ſuam ex infortunio caſuve fortuito paſsum eſſe, & præſumtio contra eum militat: probanda ideò hæc qvalitas ab allegante eam modô legitimo. Qvod ſi etiam debitum nondum in litem ſit deductum, aut ita comparatum, ut neceſsitas nondum exigat impetrationem induciarum; eô certè caſu eas à Principe concedi

per

periniqvum foret. Jacob.Menoch.*de A.J.Q.cas.203.n.14. & seq.* Anton.Hering.*de fide juss. c.5.n.124.* Nec minus ad qvalitatem,qvæ probanda Debitori,spectare videtur tempus debiti contracti: Qvod si enim nudius fortè tertius vel tempore proximè præterlapso debitum contraxerit & inducias confestim petere velit,minimè audiendus est: qvod alia cum tempore ipsi suppetere possint remedia, qvibus tandem suis satisfacere posset, creditoribus, ut non protinus ad flebile hoc auxilium confugiendum. Adjungi prædictis potest intentio debitoris petentis, qvà sincerè promittit se posthæc immane qvantum laboraturum,ut omni penitus vinculo,qvò suis obstrictus creditoribus, se eximere valeret. V.C. Daß er von aussenstehenden Schulden / welche mit Handschrifften und seinem Register beweißlich / so viel zugewarten / wo von er seine Creditoren hernächst redlich zuvergnügen/ rc.

LVI. An autem Princeps præcisè ad qvinqvennium in concedendis nostris induciis observandum obstrictus sit, disqvirunt ulterius Doctores nostri. De tempore qvidem, brevioribus inclusò terminis, adeò non sunt soliciti,persvasi satis,eos Creditori adeò ingratos non futuros,qvod jura ejusdem tamdiu non differunt, qvamdiu qvinqvennales induciæ. De illis, qvæ longius continent spatium, magis decertarunt hucusqve. Sunt etiam, qvi potestatem Principis (qvà præsentem materiam qvinqvennio adeò adstringunt, moratorias ultra prædictum spatium ab eo concessas tanqvam legi rationiqve contrarias nihil valere statuant, nè qvidem favore piæ causæ vel Ecclesiæ, aut etiam intuitu clausulæ derogatoriæ, non obstante qvacunqve lege rescripto principali fortè insertà.An-

ta. Anton. Hering. *de fidejuss. c. 5. num. 135.* Anton. Faber. *in Cod. l. 1. tit. 9. def. 17.* Dan. Moll. *Semestr. l. 4. c. 6. n. 6.* Christoph. Besold. *Thesauro pract. voce qvinqvenellen.* Moveatur potissimum legali determinatione, qvâ qvinqvennium *in l. fin. C. qvi bon. ced. poss.* disertè præscriptum videtur. Id qvod vel ex eô magis dilucescit, qvod nullibi locorum in Romanâ Jurisprudentiâ longius latiusqve temporis spatium reperiatur permissum; ut proinde conjiciant, Llatorem ultra qvinqvennium nostras inducias neqvaqvam concedi debere, voluisse; præprimis qvod dispositio legalis in casibus alterius præjudicium concernentibus eô respectu strictè interpretanda. Nec est qvod debitores, utut gravissimè obærati, prætendere possint, cùm adeò prolixum id induciarum genus omninò censendum, ut illis impetratis de modo mediisqve solvendi soliciti esse possint satis abunde. Etsi nomini vis aliqva & efficacia tribuenda, ea certè in præsenti materia locum obtinebit; cùm, ceu superius dictum, nostræ induciæ vulgari voce qvinqvennales seu qvinqvenellen efferantur.

LVII. Sed verò, etsi utraqve manu dederim promtissimus, & legum tenore, & temporis insuper usu ac observantiâ satis comprobari, nostras inducias regulariter ultra qvinqvennium concedendas non esse; qvod si tamen Principem ingentissima moveret causa ad extendendam ultra prædictum spatium dilationem, nolim dubitare, qvin Princeps suo eam concedere possit jure. Sicut enim circumstantiis contingentibus & variantibus de die in diem metam ponere absurdum meritò perhibetur; ita nec Principis potestas, cui leges sanctionesqve actionibus humanis applicare proprium, intra qvinqvennalis temporis limites præcisè constringenda. Prouti

etiam

etiam ex prægnantisſimis cauſis civitati alicui pauculum ante tempus octennales ab Imperatore datas esſe tradit Joh. Limn. *l. 4. c. 8. n. 341.* & ex eô Joh. Marqvard. *de jur. mercat. lib. 1. c. 14. n. 42.* Et imò ſi decennio opus foret, Principem iſto inducias determinantem non injuſtè agere asſerit Dn. David Mæv. *discuſſ. levam. inop. deb. c. 4 ſect. 8. n. 17.* Perpetuò tamen juſta & prægnans cauſa ſubesſe debet, nè gravius damnum præjudiciumve incurrat Creditor, qvàm qvod invitum eum ſubire æqvitas permittat. Qvid enim ſi debitoris tanta ſit miſeria, tantaq; æris alieni moles, ut finem induciarum, reparationem ſcilicet facultatum earum, qvibus ſuis ſatisfacere posſet Creditoribus, intra qvinqvennale ſpatium debitori adipiſci non liceat, ſpes verò melior poſt ſeptem vel octo annos adpareat? Certè eo & non difformis conditionis caſu obveniente conveniet omninò Principi dilatare inducias, & extendere pro diverſitate calamitatis, cui debitor obnoxius.

LVIII. Qvin imô, licet regulariter noſtras moratorias literas non niſi ſemel concedendas nec poſt qvinqvennium elapſum reiterandas esſe communiter tradant Doctores; qvod ſi tamen juſta, rationabilis & urgentisſima ſtringat cauſa, eas prorogari vel iterato concedi posſe non dubitarim. Carol. de Grasſ. *tract. de except. c. 32. n. 11.* Qvoties enim finem, qvem eas concedendo Princeps intendit, nondum eſt conſecutus; toties ipſi poteſtas media ad eum tandem adipiſcendum concedendi competere videtur. Nec obeſt qvicqvam noſtras inducias in *l. fin. C. qvi bon. ced. poſſ.* qvinqvennali ſpatio determinatas esſe: Ex eô enim non protinus colligendum, hos limites Principi adeô poſitos esſe, ut eos transgredi eidem liceat minimè. Et licet Princeps ſibimet ipſi eos poſuisſet, nec

propriæ tamen mutandi propositum circumstantiis id exigentibus, nec aliorum potestati ipsum derogare voluisse censetur. Dixerim igitur mentionem qvinqvennii in *d.l.fin.* non dispositivè, ac si ultra illud moratorias concedere Principi non sit permissum, sed enunciativè & ratione ejus, qvod ut plurimum fieri solet, factam esse; prouti in jure non inusitatum, denominationes actuum civilium à potiori desumi. Utut etiam regulariter ad qvinqvennium tantum concedantur nostræ induciæ, nactæ exinde nomen qvinqvennalium, qvin tamen pro ratione circumstantiarum brevius aut longius tempus constituere possit, mihi facilè largietur, qvisqvis ante adducta nec minus Principem omni solennitate legeq; civili solutum esse æqvo subduxerit judicio.

LIX. Qvod si verò in rescripto Principis certum & determinatum tempus non reperiatur præfixum, major utiq; dubitatio exurgit, qvousq; dilatione gaudere debeat impetrans? Videri primâ fronte posset, beneficium, qvod sanctione civili certis limitibus certoq; tempori non constat inclusum, pro perpetuo esse habendum, arg. *l.30. pr. ff. de excus. Tut. l.2. C. de divers. rescript.* Jacob. Mœnoch. *de A. J. Q. lib.1. q.22. n.2. & q.69. n.10.* & præprimis qvidem qvod beneficia Imperatoris, qvæ à divinâ ejus indulgentia proficiscuntur, qvàm plenissimè interpretari debemus juxta responsum Javoleni in *l. pen. ff. de constit. Princ.* Sed verò etsi hanc interpretationem in aliis juris nostri capitibus facilè ad miserim; qvo minus tamen eidem in præsens locus relinqvi possit natura & conditio nostrarum induciarum efficere videtur. Planè eqvidem everteretur illa interpretatione fundamentum omne & ratio qvibus eædem nituntur. Præcipuam certè, qvâ omne qvicqvid videtur

sub-

ſubesſe iniqvitatis, removetur abundè ac mitigatur, in eo conſiſtere, qvod non tollat planè, ſed ſuſpendat tantùm exactionem creditori alioqvin ſtatim competentem, ſuperius deductum. Cesſaret ſanè hæc ipſa ratio & induciæ noſtræ contrarium planè operarentur effectum, dum creditor jus ſuum exeqvi contra principia præceptave juris divini perpetuò impediatur.

LX. Cùm itaqve in dubio interpretatio benignior arripienda, & ea qvidem, qvæ omni careat abſurditate ac iniqvitate, actuiq; magis conformis accedat; idcircò necesſe omninò, ut ſubintelligatur tempus aliqvod, intra cujus limites noſtras inducias coarctatas intelligas. Et ſicut aliàs generaliter caſus dubii interpretatio omnium optima perhibetur, qvæ juris communis diſpoſitioni qvam proximè convenit; ita à verò eos adeò aberrare non dixerim, qvi inducias ſine temporis determinatione concesſas ad qvinqvennium vigore *l.fin.C.qvi bon. ced.poſs.* reſtringere amant. Interim cum authentica ejusmodi privilegiorum & reſcriptorum interpretatio ſoli reſervata Imperatori, veriorem non minus qvàm ſecuriorem putaverim ſententiam, qvæ in dubio hoc ſatius conſultiusqve ducit invocare autoritatem deciſionemqve Principis, cui uti dandi inducias ita & declarandi, dubio obtingente, poteſtas reſervata unicè *l.43.pr de Vulg. & pupill.ſubſtit.l.191. de R.J.* Rütger.Ruland. *de comiſſ.l.3.c.4.n.3. & ſeq.* Dn.Dav. Mæv. *diſcuſſ. levam. inop. debit. c.4.n.22.* Qvod ſi verò qvinqvennium præterlapſum ſit, planè non dubitandum, qvin contra debitorem ſine ulteriori mora procedere fas ſit; qvoniam, uti ante asſertum, ſpeciales concesſiones juri communi, qvantum fieri poteſt, & in dubio præſertim conformes intelligendæ.

 LXI. Cæ-

LXI. Cæterum, cùm conditio Creditoris per inducias à Debitore impetratas vel eô ipso jacturam pati videretur, qvod hic durantibus induciis abuti facilè, & in eum se præcipitem dare posſit ſtatum, qvi omnem ſatisfaciendi ſpem fiduciamq; adimat planè Creditori, jure ſuo alioqvin ſecuro ſatis & certo, ideò ut huic non minus qvàm Debitori in necesſitate conſtituto proſpiciatur in tempore, & conſulatur Principi allaborare conveniet. Et eum ob finem Jure Juſtinianeo in *l.4. C. de precib. Imp. off.* diſertè conſtitutum: Univerſa reſcripta, qvæ in debitorum cauſis de præſtandis dilationibus promulgata, non aliter valere, qvam ſi fidejusſio idonea ſuper debiti ſolutione præbeatur. Nec immeritò: ita enim debitori reſcripto peculiari conſulendum, ne creditori, cui conceſsâ debitori dilatione, dum interim ſuo carere cogitur, non leve præjudicium inferri videtur, jus obligatione illius qvæſitum effectu ipſo auferatur ſæpe numero; qvod tamen de facili contingeret, ſi cautione ſufficiente ſibi non proſpexerit. Posſet qvippe debitor durantibus induciis, bona, qvæ ſalva adhuc habet, prodigaliter conſumere, aut iisdem conſarcinatis penitus aufugere, & ita utroqve modo creditores ſuos defraudare ac eludere Anton, Hering. *de fidejusſ. c.5. n.128. & ſeq.* Joh. Limn. *de J. P. l.4. c.8. n.338.* Chriſtoph. Beſold. *theſaur. pract. ſub voce Qvinqvennell* Anſtands-Brieff. Gvid. *Pap. deciſ. 109. n.2.* Nec minus huc apte ſatis accommodari posſet *l. 21. ff. de jud.* modo Antonii Fabri conjectura qvâ *lib. 12. conject. 16.* verba illa cum competenti cautela à Triboniano inſerta esſe adſerit, non moveret dubium. Qvicqvid tamen ſit, prædictum fundamentum tanti hactenus æſtimarunt Doctores, ut ne qvidem Principem fidejusſionis exactionem remittere

posſe

posse adserant. Sicut enim Principi extra casum inevitabilis necessitatis aut publicæ utilitatis jus qvæsitum alicui auferre non licet, ita & medium, sine qvo illud ipsum Creditor salvum ac integrum servare non potest, illi ipsi auferre qvalicunq; sanctione minimè valebit, nisi æqvitatis naturalis rationem posthabere penitus nolit vereri.

LXII. An autem eapropter induciæ à debitore impetratæ invalidæ penitus censeri debeant, qvod fidejussio à Creditoribus non fuerit petita, alia est qvæstio. Ut affirmativæ qvis subscribat, verbis *non aliter valeant*, qvibus Imperator in *l.4. C. de precip. Imp. off.* utatur, induci facilè ac persvaderi poterit. Videtur enim in illis forma ac modus, sub qvô inducias nostras concedere licet, præscriptus notatusq; esse, ut proinde eô omisso inducias non valere nemo non probabiliter conjicere possit; præprimis qvod Principis non implorati officium non exigat, cautionem in debitoris favorem proprio motu exigere. Comprobat præ cæteris hanc sententiam Hyppol. de Marsil. *singul.341.* Anton. Hering. *de fidejuss. c.5. n.133. & seq.* Andr. Gail. *obs. pract. lib.2. obs. 46. n.14.* Sed verò contrariam sententiam veriorem omninò & æqviorem censuerim, motus præprimis vulgari Doctorum opinione, qvâ legi statutôve ad actus subsistentiam ac validitatem cautionem aut fidejussionem reqvirenti ea qvalitas, *si nimirum petatur à parte*, semper sub intellecta perhibetur. Nec potest Creditorum juris sui rationem non satis habentium negligentia debitoribus vigilantibus qvicqvam creare detrimenti. Sibi potius imputare habent Creditores, qvod JCti responsum in *l.24. in fin. ff. qvæ in fraud. Cred. Jus civile vigilantibus scriptum est,* in tempore non applicarint, aut applicare ab aliis non didicerint.

LXIII. De

LXIII. De cœtero citatam ſuperius *l. 4. C. de prec. Imp. off.* in deſvetudinem abiiſſe, ac proinde debitorem petentibus licet creditoribus ad cavendum fidejusſoribus datis non teneri asſerentium ſententia mihi minimè comprobanda videtur. Cùm enim legem deſvetudine abrogatam esſe facti, & probatione egeat, ideò qvamdiu id non efficiunt disſentientes, ſalva illius perſiſtit auctoritas atqve integra. Debitores potius qvinqvennales ab Imperatore petentes ad ſatisdandum vel fidejusſionem præſtandam citari tùm contra Roding. *Pand. Cam. lib. 3. lit. 4.* tùm exemplo procesſus Anno 1570. in Camerâ decreti civibus Francofurtanis contra Erphurdium teſtatur Paul. Matth. Wehner. *obſervat. pract. ſub voce* Anſtand: Brieff. Eapropter non adeò ineptè dixerim, errore magis qvàm certâ deſvetudine fidejusſionem hoc caſu non ſemper obſervatam esſe. Præprimis verò hæc ſententia omni exempta dubio, qvando cautio prædicta à Creditoribus non exigitur: & licet id iterum facti & in arbitrio Creditorum conſiſtat, ita tamen Joh. Zangero. *de except. p. 2. c. 12. n. 4.* & illius veſtigiis inſiſtentis Osvvald. Hill. *ad Donell. lib. 22. c. 9. lit. N.* disſentientis primo intuitu & cautionem fidejusſoriam hodie exigi non ſolere asſerentis mentem explicare non dubitarim. Conſulas inſuper velim Joh. Limn. *de J. P. lib. 4. c. 8. n. 340.*

LXIV. Sed enim licet Creditoribus fidejusſorum interventionem inſtanter exigentibus morem omnino gerendum esſe ex prædictis conſtet abunde, id tamen non niſi regulare & ordinarium. Qvid autem juris ſi debitor omni opera adhibita non posſit reperire, qvi ſuam pro ipſo interponat fidem? Reſpiciunt nonnulli cauſam, ex qvâ induciæ fuerunt impetratæ: qvod ſi enim ad peten-

tendas eas paupertate ac inopiâ adigantur debitores, ad juratoriam cautionem eum admittendum esse, censent. Sin verò ex aliâ caussa ipsi eas obtinere necesse sit, utpote si ipsius Debitores eum solutione frustrati sint, aut ipse Emtores rerum suarum, ut pretio exinde redacto suis satisfacere possit Creditoribus, vel planè non vel non sine gravi jactura invenire valeat, cautionem vel fidejussoriam vel pignoratitiam desiderant præcisè. Mihi arridet indistinctè affirmativa, qva cautionem juratoriam prædicto casu sufficere autumant alii, tanqvam benignior & ad sublevandam misericordiam inopiamve obærati debitoris tendens: dummodo & ipse ita hactenus se gesserit ut probatæ fidei & existimationis præsumtio per contrariam probationem non possit elidi. Anton. Fab. *ad Cod. lib. 1. tit. 9. def. 21.* Andr. Gail. *obs. pract. lib. 1. obs. 148. n. 6.* Præprimis qvod in recessu Imperii de anno 1548. tit. von verdorbenen Kauffleuten. nulla mentio cautionis fidejussoriæ facta, qvæ tamen sine dubio non fuisset omissa, si qvinqvennales illâ ipsâ non præstitâ suo privarentur vigore. Joh. Zang. *de except. p. 2. c. 12. n. 4.* Osvv. Hillig. *Donell. enucl. lib. 22. c. 9. lit. N.* Multò minus autem peculiari ulteriorive satisdatione onerandus, si ipse bona possideret immobilia, qvæ hypothecæ in securitatem Creditorum supponere existit paratus Osvval. Hillig. *ad Donell. d. l. lit. N.* Qvin imò si debitor initiò contractæ obligationis creditorem fidejussoribus absolutè datis induciis durantibus adhuc obligatis reddiderit securum, ad cautionem denuò præstandam compelli neqvaqvam poterit. Joh. Limn. *de J. P. lib. 4. c. 8. n. 339.* Hulder. Euben. *in not. ad Perez. prælect. in Cod. tit. de prec. Imp. off.*

LXV. Cæterum, non sufficit nosse, prodesse immane qvantum debitori beneficium nostrarum induciarum, necesse ulterius, ut, an debitore durante illarum tempore,& nondum ad finem perducto, defuncto, heres illius earum munimine adversus Creditorum exactionem se tueri valeat, disqvirerem ulterius. Affirmativa primo intuitu vel ex eô fundamento amplectenda videtur, qvod qvivis jus aut beneficium qvale qvale impetrando sibi non tantùm, sed & heredibus suis prospicere velle præsumatur; & privilegium concessum personis intelligitur etiam familiæ indultum Carpz. *Jurispr. for. p. 1. qvæst. 32. def. 17. n. 4.* Sed enim, etsi hæc omnia utraqve dederim manu, simul tamen de iis tantùm privilegiis qvæ merum impetrantis concernunt favorem, nec in aliorum tendunt præjudicium ac damnum, mentem meam velim intellectam. Sicut hæc ipsa eô intuitu omninô odiosa censenda,& in iis interpretatio non extensiva sed restrictiva locum obtinet; ita & nostræ induciæ, cùm Creditoris jura, qvo minus contra debitorem suum executivè procedere possint, suspendant, ideò non possunt non cum persona illius, cui eædem concessæ, interire simul ac exspirare; valente illo vulgari, sublato subjecto tolluntur accidentia,& jura eidem ante inhærentia.

LXVI. Præprimis, qvod Princeps concedendo nostras inducias ad promissam debitoris industriam, qvâ spem fecit non vulgarem, ipsum intra destinatum tempus facultates suas ita reparaturum, ut exinde Creditoribus satisfacere possit, respexisse censeatur; Cùm autem eadem industria ac fides non protinus in herede ac successore reperiatur *arg. l. 4. ff. locati l. 6. §. fin. ff. de stat. hom.* ideò ex recepta Doctorum sententia industralia ad heredes non

trans-

transeunt. Videsis Commentatores ad §.10.*Inst. de mandato.* Utut etiam in literis induciarum expressa bonorum debitoris facta sit mentio, qvod nempe & ea citra certi temporis spatium ab omni molestia secura atqve immunia esse debeant; eò tamen non attento heredes & qvi in ea succedunt easdem neqvaqvam sibi arrogare valebunt, vel ex eô præprimis fundamento, qvod bona hereditaria post aditam ab herede hereditatem amittant plane illam denominationem & vicissim proprium heredis patrimonium dici incipiant. Joh.Limn.*de Jur. Publ. lib.4.c.8.num.345.* Utrum autem eadem dispositio, qvam in heredibus obtinere hactenus deduxi, ad fidejussores qvoqve, qvibus debitor Creditori suo satis dedit, extendenda, investigare animo ulterius sedet. Rem omnino difficilem reddit diversa tot tantorumqve virorum sententia. Sunt maximæ autoritatis viri, qvorum palato simplex negativa arridet: Sunt qvoqve qvi affirmativam amplexantur; nec desunt tandem, qvi distinctionis fœdere totam, qvæ subest, litem dirimere satagunt.

LXVII. Anteqvam verò, qvid sentiant hinc inde Doctores, attingam, duco necesse, judicium ritè formare, ne errorum genitrici ansam dedisse videar. Qvod si enim in rescripto moratorio expressa fidejussorum mentio facta, neqvicqvam dubitare licebit, prodesse idipsum fidejussoribus; cùm tota illius impetratio Principis voluntati arbitriove unice transscribenda; cui proinde uti dare id ipsum & concedere, ita restringere nec minus ac extendere permissum. Ant. Hering. *de fidejuss. c. 27.p.5. n.77.* Qvin imò licet in rescripto Principis mentio fidejussorum facta non sit, sufficere tamen in precibus impetrandis moram etiam pro fidejussoribus petitam esse cen-

ſet Jacob. Menoch. *de arbitr. Jud. qvæſt. lib. 2 cent. 3. caſ. 203. n. 26.* Inſuper, ſi motu propriò Princeps debitori noſtras conceſſerit inducias, easdem & fidejuſſorum commodo cedere tradit Anton. Hering. *d. l. n. 79.* Hiſce & non diſſimilis farinæ caſibus ſuppoſitis ad ipſam deciſionem ejusq; primaria deſcendendum fundamenta.

LXVIII. Negativæ qvidem patrocinantes iis non videntur eſſe deſtituti, qvæ qvemvis facile, ut illis calculum adderet, perſvadere primo valeant intuitu. Vel Juris eqvidem tyronibus notum, privilegia ſtrictisſimæ interpretationis eſſe ratione perſonæ, cui eadem conceſſa, adeò, ut eandem minimè transgrediantur, nec ad exemplum trahantur, qvoniam juxta Imperatorem in §. *6. Inſt. de J. N. G. & C.* non hoc vult Princeps. Cauſam qvoqve impulſivam noſtrarum induciarum animo magis magisqve penſitaturus hujus ſententiæ ſuſcipiet defenſionem. Qvæ enim qvæſo alia, qvàm miſeria Debitoris & calamitas, in qvam citra ſuam præceps factus culpam? Hanc perſonalem eſſe dicunt & proinde ad eas perſonas, qvæ exemtæ eâ ipsâ, neqvaqvam extendendam, *in omnibus qvippe* autore Paulo JCTO *in l. 68. de R. I. cauſis id obſervatur, ubi perſonæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea beneficium qvoq; deficiat.* Nec minus intentio Creditorum ita ſentientibus ſuffragari videtur: Non alio enim fine fidejuſſoris interpoſitionem deſideravit initiò, qvàm ut exiſtente eventu, qvo debitor facultatibus lapſus ſolvendo eſſe deſierit, ad fidejuſſores regreſſus ipſi integer ac ſalvus ſupereſſet.

LXIX. Tandem ex *l. 7. ff. de except.* fundamentum non adeò perfunctorium ſententiæ ſuæ petere videntur; In eâ qvippe diſertè reſpondet Paulus JCTUS, exceptiones,

nes, qvæ personæ cujusqve cohærent, non transire ad alios; eôqve præcipuè motum novissimè deprehendi Dn. Johannem Brunnem. *in Comment. ad ff. ad d. l. n. 2.* Subscribunt aliàs huic sententiæ Andr. Rauchb. *qvæst. insign. p. 2. q. 7. n. 36.* Anton. Fab. *in C. lib. 1. tit. 9. def. 14. num. 2.* Jac. Menoch. *de A. J. Q. cas. 203. n. 26.* Matth. Coler. *de process. execut. p. 1. c. 4. n. 17.* Sigism. Scaccia *de judic. lib. 2. c. 7. n. 383.* Carol. de Grass. *de except. c. 32. num. 37.* & novissimè Dn. David Mevius *discuss. lev. inop. deb. c. 7. n. 227.* Alii deinceps distinctionis ope negotium hoc dirimere satagunt; Discernentes inducias à solo debitore petitas ab iis, qvæ moratorio partium consensu impetratæ, & qvod de illis negant, dè hisce affirmandum esse censent. Nec minus qvinqvennales individuatim huic vel illi debitori concessas distingvunt ab iis, qvæ omnibus Debitoribus generaliter dantur, ut sæpe fieri solet ob calamitatem nostrorum temporum: priori casu in fidejussoris commodum non cedere, posteriori verô exceptionem hanc rei cohærere, & proinde fidejussori etiam in aliô judicio, ubi istud moratorium non est datum, convento prodesse tradunt Dn. Dav. Mev. *p. 3. decis. 261.* & Dn. Joh. Brunnem. *comment. ad ff. ad l. 7. ff. de except. num. 2.* Sed verô sicut prima sententia beneficium Principis cum Creditorum indulgentia confundit; ita altera sufficienti diversitatis rationê non videtur munita.

LXX. Placet itaqve in dubiô hôc Doctorum conflictu simpliciter affirmantium cœtui adhærere. Decisum eqvidem hactenus, jure novissimo Creditorem effectivè non prius convenire posse fidejussorem, qvam excusso principali debitore; alioqvin is ipse tutus satis beneficio ordinis seu excussionis *Nov. 4. c. 1.* Cum itaqve Debitor,

ne

ne bona ejus excutiantur à Creditoribus, moratorio rescripto sibi salubriter prospexerit, qvâ qvæso ratione fieri poterit, ut inversô qvasi ordine fidejussor ante Debitorem principalem lite pulsari possit? Deinceps & id notum satis, & fidejussorem & principalem Debitorem cum effectu tunc demum conveniri posse, qvando solutionis terminus venit; Aliàs etenim Creditor agens ante diem debiti exactioni præfinitum exceptione plus petitionis repelli omninò poterit *l.1. & 2. C. de plus petitionib.* At verò per moratorium rescriptum dies solutionis prorogatus est, & tunc demum existere intelligitur, cùm induciæ exspirarint. Et si, ut solvat fidejussor, ante diem istum cogi posset, seqveretur, plus eum debere, qvam debet is, pro qvo obligatus contra dispositionem *§.5. Inst. de fidejuss. l.9. l.41. ff. eod.* Qvin imò stante negantium sententia effectu ipso fidejussoribus subtraheretur beneficium excussionis & non servati ordinis in favorem ipsorum introductum, qvod Debitor fortassis solvendo, & si non in solidum, ex parte tamen, si ipsius bona prius excutere liceret, esse possit; Nec minus privilegium Principis contra ipsius intentionem in tertii tenderet præjudicium ac detrimentum: Cùm tamen moris non sit Imperatorii, beneficia in cujusdam injuriam tribuere *l.4. C. de emancip. lib.*

LXXI. Et qvid opus ulteriori deductione, cùm clari præstò sint textus *in l.27. §.1. ff. de pact. l.3. §.1. C. de usur. rei jud.* nostræ sententiæ egregia suggerentes fulcimenta. Neqve tandem id unqvam dedero, utut viriliter urgentibus ex dissentientium numero, nostram induciarum exceptionem merè personalem esse, prouti de beneficio competentiæ aut bonorum cessionis tradunt vulgò Doctores: Eam potius personalem qvidem, in rem tamen scri-

ſcriptam dici vel ex eô conſtare puto, tùm qvia hoc beneficii genus ipſam debiti exactionem reſpicit, eamqve ad certum tempus ſuſpendit, tùm qvia perſonæ non ſimpliciter ſpectatæ, ſed ſub illa qvalitate, qvatenus debito oneratæ, eum in finem, ut terminus ſolutionis prorogetur, conceditur. Qvod ſi igitur debitum hôc privilegio munitum à principali Debitore exigi non poteſt, ex ratione juris nec fidejusſores ante elapſum tempus in qvinqvennalibus præfinitum ad ſolvendum compelli poterunt: Ne aliàs durisſima fidejusſoris reddatur conditio, & effectivè eædem potius contra eum qvam Creditorem conceſsæ videantur; Cùm tamen aliàs dilationes ſuper principali factæ etiam ſuper acceſſorio fieri intelligantur *arg. l.5.§.1.ff. qvib. mod. pign. vel hypoth. ſolv.* Nec posſunt ulterius Creditores conqveri, ſibi injuriam eô ipſô inferri, dum fidejusſores in literis inducialibus non nominatos, & qvos in ſui crediti ſecuritatem receperunt, conveniendi facultas ipſis adimeretur: falſum qvippe hanc noſtris qvinqvennalibus tolli, ſuſpendi tantùm ex ſuperius dictis abundè conſtat Carpz. *Jurispr. forenſ. p. 2. conſt. 22. def. 29.* Exerit vires ſuas jus creditorum cum eventu ſatis felici, ſi tempus in induciis definitum elapſum fuerit: Utut generaliter Creditoribus conveniat, ut ſe moderatos & cum efficacia benignos præbeant, juxta *l. 33. princ. ff. de uſur.* Ne dicam de eô argumento, qvod alii Doctores urgere adſolent: nimirum qvà extenſionem beneficiorum heredem & fidejusſorem æqviparari. Sicuti igitur qvivis in dubio non ſibi tantùm, ſed & heredi proſpectum voluisſe præſumitur *l. 9. ff. de prob.* ita qvoqve Debitor remedium ſibi parando & fidejusſori idipſum acqvirere velle cenſetur.

LXXII. Verùm de hâc qvæstione ejusqve argumentis satis dictum esto; exigit etiam instituti ratio, ut hisce paginis præter intentionem sub manibus qvasi excrescentibus finem tandem imponerem, nisi ex ordinis ratione pauca de effectu nostrarum qvinqvennalium subjicere necessum ducerem. Et initio qvidem de tempore, qvo eædem suas exerunt vires dispicere necesse est; Id qvod non præsentationis vel exhibitionis censendum, sed retrò interdum computatio facienda, & id, qvò impetratæ induciales nostræ, inspiciendum. Sicut eqvidem illæ integrum, qvô pollent, vigorem & efficaciam unico ac soli Principis debent placito, ita æqvum utiq; ut ab eô statim tempore, qvô in lucem edita gratiosa Imperatoris concessio suis non destituatur operationibus. Qvod si tn. vel ipse concedens alios terminos indultui præfiniverit, aut effectum qvinqvennalium ob veritatem in supplicatione allegatorum nondum satis accuratè investigatam, vel cognitionem adhuc instituendam suspenderit: præprimis si clausula rescripto expressè sit inserta, *si preces veritate nituntur*, induciarum ratio non prius habenda, qvàm veritate precum reperta; id qvod eò qvam maximè procedit casu, si Creditor resistit, qvantum potest, intentioni Debitoris, qvi tamen sibi confestim prospicere potuisset, modo attestatum Magistratus juxta superius deducta, supplicationi simul inseruisset. Qvid verò si Debitor in carcere detineatur? Tempus induciarum non prius currere incipere, qvam si ipse carcere exemtus, sicut tradit Dn. Dav. Mev. *discuss. lev. inop. deb. c. 4. n. 28.*

LXXIII. Ex dictis hucusqve ulterius fluit, contra Debitorem durantibus induciis nullam obtinere exactionem, eidem potius spatium relinqvi, qvo de modô solven-

vendi, & debita, qvibus alii iisdem devincti, exigendi meditari possunt Matth.Coler. *de process. execut. p.1.c.4. n.14.* Multò minus Debitor durantibus hisce induciis arrestari aut carceri includi poterit; cum juxta Imperatorem in *l.3.C. de dilat.* sive pars sive integra dilatio fuerit data; eousqve Judicis officium conqviescat, donec petiti temporis defluxerint curricula. Qvod si verò pendente dilatione Debitor aufugere, & eâ ratione vel solutioni penitus se subtrahere, vel finitis induciis copiam seipsum conveniendi difficilem reddere intendat, præprimis qvod vi superius dictorum fidejussori qvoq; beneficium hoc prosit, Creditori nolim denegare facultatem implorandi officium Judicis, ut hic ipse vel aresto vel alio sufficienti pro re natâ remedio ipsi prospiciat, arg. *l.10.§.16.ff. qvæ in fraud. Cred.* Eandem dispositionem obtinere dixerim, si dilatio impetrata aliud concernat debitum, qvàm super qvô arrestum petit Creditor; cùm respectu Creditoris induciales nostræ odiosæ censeantur, respuentes proinde extensivam interpretationem. Christ.Besold. *Thesaur.pract. sub voce Qvinqve*nellen.

LXXIV. Qvid verò si debitor durantibus qvinqvennalibus pingviorem nactus fortunam, poteritnè conveniri effectivè iisdem non obstantibus? Affirmativæ subscribit Osvvald.Hillig. *Donell. enucl. l. 22. c.9.* eô motus fundamento: qvod immunitas ab exigendo debito ob paupertatem concessa sit, hâc ideò cessante & illam cessare debere. Ab illo tamen recedit Johannes Limn. *de J. P. lib.4. c.8.* impugnans generalitatem canonis illius, cessante caussa impulsiva concessionis cessare ipsam concessionem, præsertim si certum & definitum tempus concessioni fuerit insertum. Potest qvidem Debitor prædi-

cto casu emergente, non exspectato induciarum termino, Creditori offerre solutionem; qvod si tamen id non fecerit, exigi ab eô ante elapsas inducias vix poterunt. Id interim consilii Creditori suggerit præfatus Limnæus, ut ipse interpellet primitus Debitorem, & eò solutionem recusante adeat Principem, qvi, ut justa ex causa inducias ad certum temporis spatium concesśit, ita vicisśim easdem ex justa causa tollere ac coarctare poterit. De cætero imponerem huic discursui finem, nisi & eam qvæstionem, an ab eô tempore, qvô qvinqvennales impetratæ, usqve ad terminum earundem Creditori usuras exigere liceat nec ne, ventilare vel ex eô satis duxerim fundamento, qvod ex difformibus, qvæ hic qvam maximè obtinent, JCtorum opinionibus diversæ in judiciis non rarò prodierint sententiæ.

LXXV. Formandum tamen prius judicium, nè illis temerè obluctari videamur, qvi re ipsâ nobiscum qvam maximè sentiunt. Supponimus casum, qvô Princeps certis inductus circumstantiis indultum ad sortem tantùm restrinxit: eô enim obtingente usuræ non minus præstandæ, qvàm nullà dilatione impetratâ. Eqvidem ut privilegia respectu impetrantis strictè interpretanda; ita & dispositionem in diplomate expresśam seqvi omnino convenit. Neq; de eô nobis negotium, qvo vigore morum & observantiæ durantibus induciis usurarum cursus sistitur; satis edoctis & consvetudinem legem tollere & observantiam eandem moderari posse. In eô potius tota consistit difficultas, an cessante restrictione & observantia debitor ad earum usurarum, qvæ durantibus induciis accrevere, præstationem cogi posśit? Neqve enim hic disqvisitio, an medio durantis dilationis tempore usuræ,

exigi

exigi qveant: hujus eqvidem negativa omnium arridet palato, cùm dilatio super sorte veluti principali concessa videatur utiqve & id operari, ut debitor quà usuras qvoqs tanqvam accessorium, ab omni flagitatione & molestia interea immunis persistat arg. *l.5.§.1.ff.qvib. mod.pign.vel hyp.solv.* Sed in eô consistit Controversiæ cardo, an post elapsum tempus qvinqvennalibus definitum cum sorte etiam usuras à tempore indultus impetrati accrevêre creditori petere integrum sit. Hic etenim nodus ferè indissolubilis, &, ut, cui sententiæ firmiter inhæreas, hæsites anxiè, efficit. Distinctionis ope nonnulli eum dissolvere allaborant, amplexantes affirmativam, si jam ante rescriptum usuræ currere cœperint; negativam verò casu contrario obtinente: Rationem diversitatis hanc notat Anton. Perez. *Prel. ad D. de precib. Imp. off. n.7.* Dn. Brunnem. *ad l.2 d.l.* qvia Princeps jus qvæsitum Creditori invito per rescriptum moratorium damnum inferendo auferre non potest; & mora hic tantùm est dilatio, non autem ullius sive sortis sive accessionis ablatio.

LXXVI. Affirmativæ patrocinium non de infimâ sorte suscipiunt Doctores, sive ex morâ sive ex conventione debeantur usuræ, sisti durante induciarum tempore cursum usurarum asseverantes, & fortè ex rationibus non adeò flocci pendendis. Qvod si enim de morâ, vulgari aliàs usurarum genitrice, qvæstio moveatur tota facilis, sisti nimirum cursum usurarum, omninò primo adparet intuitu. Cùm eqvidem juxta vulgatum Sophorum principium cessante causa effectum cessare oporteat, debitori autem præter paupertatem, qvæ sola juxta Medic. *de casib. fortuit. p.2. q.4. n.42.* debitorem à mora liberare potest, impetratis principali indulgentia induciis

 nul-

nulla imputari posſit mora, ideò inducere ex eô ſatagunt, inhiberi omninò curſum uſurarum, induciis non impetratis alioqvin currentium. Neqve enim moram committere poteſt juſtâ causâ, qvò minus id præſtet, ob qvod compellatur, munitus Carol.Molin. *de Uſur.n.624.* Nicol. Boër. *deciſ.296.n.5.* Maſtrill. *deciſ.16. n.4. & 6.* Caſp.Anton. Roderic. *de ann.redit.l.3.q.9.n.21.* Joſeph.Maſcard. *de probat. concl.1387. n.32.*

LXXVII. Æqvitati porrò, & illi præprimis, qvam natura inter omnes conſtituit homines, cognationi omnium minimè conveniret, ex adversâ fortuna ad inopiam redactum adſtringi ad uſuras ſolvendas, qvas præſtare alioqvin paratus promtusqve esſet, cui tamen ut eô intuitu qvis opem auxiliumqve ferat, proximi charitas qvemvis obligat. Nec minus inſuper contradictionem involvere videtur, ad illius Crediti uſuras ſolvendas adigi aliqvem posſe, cujus tamen ſolutio ex peculiari Principis benignitate exigi non poteſt: cùm dilatio facta ſuper principali fieri etiam videatur ſuper accesſorium arg. *l.5. §.1 ff. qvib. mod. pign. vel hyp. ſolv.* Ant. Hering. *de fidejusſ. c.22. n.80. & c.27. n.21.* Debitoris tandem conditionem animo ſubducturus, ut huic ſubſcribat ſententiæ, perſvaderi facilè poterit. Neqve enim aliis, qvam ſola fortunæ adverſitate ad ſummam redactis egeſtatem noſtris qvinqvennalibus ſubveniri debere ex ſuperis dictis pateſcit: Ut proinde iſtiusmodi debitor ad ſortem tantùm conqvirendam Creditoriq; reſtituendam ſatis operæ impendere debeat, & ideò uſurarum qvoqve ſolutione ipſum onerare periniqvum cenſeri posſit. Bened. Carpz. *Jurispr. for. p.2. conſt.30. def.26.* Dan. Moller. *ſemeſtr. l.4. c.7. n.2.* Wehner. *pract. obſ. ſub voce* Anſtands-Brieffe. Prout iju-

ti jure etiam divino à pauperibus usuras exigere prohibitum & abominabile perhibetur.

LXXVIII. Et qvid insuper effectutenus juvarent egenum istiusmodi debitorem induciæ impetratæ, si durantibus iis acrresceret æs alienum, adeò, ut vix ulla adparere posfit spes, eundem finitis iisdem sortem cum usuris exsolvere, minus multò ad meliorem fortunam pervenire posse. Qvin imo, indolem privilegii diversam sententiam non admittere sibi habent persvasum: Perabsurdum ac temerarium censentes, principalia privilegia non in augmentum sed diminutionem velle interpretari contra sanctionem Anastasianam *in l. 2. C. de præpos. agent. in reb. lib. XII.* Tandem ex jure Romano à legatis ad nostrum privilegium ducunt argumentum, eâ potissimum seqvela utentes: qvoniam Heres juxta Pomponium in *l. 8. §. 2. ff. de liber. leg.* ejus temporis, intra qvod petere creditum vetitus est, hujus usuras petere neqvit, ni adversus Testamentum committere velit, idcirco nec creditor à debitore usuras, qvæ durantibus induciis accrevêre, petere poterit, cùm ab uno beneficio ad alterum argumentari omninò liceat. Nec aliam decisionem qvæstionis de usuris, qvæ ex peculiari conventione prævia debentur, ortæ adferit præ reliqvis Carpzovius *Jurispr. for. p. 2. const. 30. def. 46.* vel ex eò potissimum fundamento motus, qvoniam tempore conventionis de qvinqvennalibus non cogitârunt contrahentes, & ideò ad incogitata easdem minus rectè extendi posse, cùm omnibus Contractibus semper insit clausula *rebus sic stantibus.*

LXXIX. Sed verò & diversum sentientes non ficulneis, sed iis omnino muniti fundamentis, ut qvibus tandem suffragium præbeas tutò satis, omnino hæsitare pos-

sis. Satis eqvidem sibi gratulari habet commodiqve persentiscit Debitor eô ipsô, dum prorogationem non modo & dilationem debiti, sed & immunitatem durantibus induciis ab omni exactione executioneqve conseqvitur. Iniqvum vicissim esset, mutari obligationis conditionem, nec dilationem minus sortis æqvè ac usurarum, totalem harum inferre ablationem, cùm tamen aliàs termini prorogatio & dilationis extensio facta intelligatur cum omnibus qvalitatibus & accessoriis. Dn. Brunnem. *ad l. 2. C. de prec. Imp. off.* Matth. Coler. *de Process. execut. p. 1. c. 10. n. 303. & 305.* Modest. Pistor. *consil. vol. 1. consil. 64. n. 22.* Bachov. ad Treutl. *vol. 2. disp. 24. th. 4. lit. E. in fin.* Eô ipsô potius, qvô dissentientes concedere necesse habent, sortem nostris induciis non attentis nihilominus deberi, actualem saltem exactionem iisdem impediri, largiri etiam eosdem oportet, qvod pro usu istius pecuniæ, consentiente Doctorum catervâ, creditor rectè usuras exigere possit; cùm Debitor impetratis induciis conseqvatur jus reddendi pecuniam demum post certum tempus, ad cujus restitutionem statim præstandam alioqvin obstrictus fuisset. Ipse potius cum alterius jactura ac detrimento suam conditionem meliorem redderet contra naturalem non minus æqvitatem, qvàm intentionem Principis nostras qvinqvennales non eâ fini, ut cum alterius damno lucrum faciat, sed ut ab omni immunis sit exactione, Debitori concedentis Carol. Molin. *de Usur. n. 624.*

LXIX X. Præprimis verô omne privilegium ita interpretari convenit, uti psum qvàm minimum præjudicii damnive alteri inferat. Sed verô stante Dissentientium sententia, Creditor non modô pecunia suâ sed etiam fructu illius carere deberet; utut aliàs favorabilior illius sit

con-

conditio, qvi certat in damno vitando, qvàm lucro captando, suffragante Ulpiano in *l.14. §.1. in fin. ff. de* relig. & sumt. funer. Ipse potius Debitor ex dictamine rectæ rationis se obligatum ita sentiet, ut, qvia commodum in usu alienorum nummorum consistens percipit, & onus usurarum, vel pretium usus subire non detrectet, *l. 10. de R. J.* Neqve etiam eum ferendum esse, qvi lucrum qvidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit, rescribit Justinianus noster in *l. unic. §. 4. in fin. C. de caduc. toll.* Maximè autem omnium movet, qvod ejusmodi rescripta, tanqvam contra Jura Creditori alioqvin competentia, concessa & ideò eò respectu odiosa ad ea minimè extendenda, qvorum mentio in iisdem expressim non fuerit facta; cùm alioqvin Princeps, si sortis non modò exactionem differre, sed & usurarum cursum interea temporis sistere voluisset, disertis verbis suam declarasset mentem: *Ea enim,* juxta Ulpianum in *l. 15. §. 26. in fin. ff. de Injur.* *qvæ notabiliter fiunt, nisi specialiter notentur, videntur qvasi neglecta.*

LXXXI. Et hanc ipsam sententiam novissimè à Serenissimo Legislatore Saxonico decis. Elect. 30. seqventibus adprobatam deprehendo: Ob nun wohl hierbey etliche Rechts-Lehrer vorgeben / daß bey währenden fünfjährigen Inducien der Schuldner den Gläubigern die Capitalia zu verzinsen nicht schuldig: So lassen wir uns doch die andere Meinung / so denen Gläubigern die Zinsen binnen solchen 5. Jahren nicht abstricken / gefallen; iedoch mit dieser Erklärung / daß angeregte Zinsen zugleich mit dem capital gestundet / und da der Debitor nach geendigten Inducien und bey angestelter Execution-Klage in continenti darthun und erweisen könte / daß Er seine Güthere inzwischen nicht genutzet noch nutzen können / Er damit gehöret und nach befundenen Umbständen auch wegen der Zinsen die Erlassung angeordnet werden sollen. Nec qvicqvam obesse videntur argumenta, qvibus diversum sentien-

tientes moventur. Multa ut paucis complectar, ea nil aliud probare dixerim, qvàm qvod medio tempore, qvô durant qvinqvennales nostræ usuræ non magis qvàm sors ipsa peti qveat; Debitore interea omnibus molestiis & exactionibus exemto. Verùm in eô non consistere cardinem controversiæ, superius notavi, sed potius de eô nobis qvæstio intercedit, an, elapso induciarum tempore sors non modò sed & usuræ, supposito casu debitoris facultates conditionemqve id ipsum admittere, exigi possint? id qvod affirmandum duxi; Sicut enim principali rescripto non sortis extinctio sive debitoris liberatio, sed exactio tantùm sistitur; ita qvod de debito principali dicitur, id nimirum finito induciarum tempore reviviscere & exigi posse, idem judicium etiam de usuris tanqvam accessorio meritò fertur. Et meritò Bachov. ad *Treutl. vol. 2. disp. 24. th. 4. lit. E. in fin.* jam dudum irrisit Molleri argumentum, qvod ipse à spoliato, qvem tempore belli conveniri posse, nisi in qvantum facere possit asserit, ad Debitorem cui Princeps nostras largitur qvinqvennales, ducit.

LXXXII. De cætero, si coram inferioribus judiciis qvæstio hæc ventiletur, nec decisio clara & luculenta satis edita sit, omnium tutissimum erit, totam causam Principi decidendam remittere; cùm cognitio & interpretatio privilegiorum ab eô maximè exspectanda, à qvô eadem initio facta Andr. Gail. *observ. pract. lib. 1. obs. 1. n. 13.* Neq; etiam deneganda Principi deprehendenti debitorem præ inopia & egestate vix sibi suisq; prospicere posse, ad extrema potius de die in diem vergere, potestas inhibendi usurarum exactionem, & eâ ratione indulta sua eò magis extendendi, qvô iniqvius illô casu contingente, creditor ab egenô usuras exposcit Debitore. Ipsi eqvidem potissimum tanqvam capiti Reip. incumbit, promovere salutem membrorum, eamq; ab omni in tempore vindicare interitu. Prouti vicissim Princeps minus justè creditori abdiceret usuras, qvarum tamen non minus ac sortis solutioni finitis induciis Debitor non adeò impar videretur.



QVid *mora qvinqvennalis* agat proponis acutè,
Publica dum *LöSER* pulpita nostra petis.
Nobile sistis opus. Rectè! non contrahe frontem;
Sic cùm sis magnus, nunc *Generosus* eris.
Serta Tibi præclara legit præclarus Apollo,
Inter enim Doctos Te locat ille choros.

Sinceri affectus testandi causa cum voto omnigenæ prosperitatis hæc apposuit

PRÆSES.

NOn dedignaris Studiis extendere famam,
Mi LöSERE, Genus qvam jamdum nobilitavit.
Nobilitatis opes sic vere crescere sentis,
Qvod si sic pergas, eris olim Nobilis arte!

Generoso ac Nobilissimo Dno. RESPONDENTI, Amico ac Fautori colendo festinante ac gratulante calamo scrib.

W. Theodorus Martini, D. P. P.

STirps LöSERORUM, generosô sangvine creta,
In Patriam nostram commoda multa tulit.
Non jam, rem primâ repetens ab origine, dicam,
(Prolixum siqvidem dicere cuncta foret,)
Ut Te, Mauriti Princeps, servaverit olim,
Turcarum instaret cum violenta manus,

Intentans mortem, Juvenis, qvi natus eôdem
Stemmate, ob id factum nomina tanta tulit.
Hoc saltem referam, qvòd Gens LÖSERIA cunctis
Annis extiterit Marte vel arte potens.
Te veteres ergò in laudes animumqve virilem
Excitat, & Patrum gloria magna vocat.
Idqve potest nobis vel præsens charta probare,
Qvam Consultorum sistis, Amice, choro.

Michael VVendelerus, Philos. ac SS. Theol. Doctor, Facultat. Theol. Assessor, Theol. P.P. Extraordinarius, ac Moral. Philos. P. P. Ordinarius.

AD magna natum Te, Generosius
GERMEN LÖSERUM, multa probant mihi:
Mores modesti, vita recta,
Ingenium, labor atq; Sollers.
Ex Stirpe clarâ perveteri tuâ
Qvis illa nescit Nomina maxima?
O surge, fac te comparem istis!
Sed facis; & satagis, LÖSERE.

Nobiliss. Dn. RESPOND. Fautori & Amico honorando deproper. gratulab.

Georg. Casp. Kirchmajer, Eloqv. P.P.

Wo der Tugend holder Strahl
Durch die tapffern Helme blitzet

Und

Und zur Seiten allemahl
Bey den Edlen Fahnen sitzet
Muß des Adels Glantz und Schein
Noch einmahl so helle seyn:

Dieses ist sein bester Ruhm
Wenn Er durch berühmte Künste
Ihm erwirbt ein Eigenthum/
Daß der Parzen ihr Gespinste
Daß der Zeiten Lauff verlacht
Und sich selbst unsterblich macht.

Und daß ist auch gleichfals nun
Edler LöSER Dein Beginnen/
Itzt soll Dein berühmtes Thun
Den verdienten Preiß gewinnen
Welcher Deinem Fleisse soll
Geben den bekandten Zoll.

Numehr ist dein Ziel erlangt
Nun dein Lob mit Deinen Ahnen
Edler umb die Wette prangt
Und nichts nachgiebt Ihren Fahnen/
Ihren Fahnen die die Welt
Noch in Ruhm und Ehren hält.

Waß von tausend Jahren her
Deiner Eltern Kunst erworben

Höret

Höret man nicht ohngefehr
Es ist itzt noch ungestorben
Vnd der LöSER Hoher Stand
Ist bey Fürsten wohlbekandt

Du derselben gleiches Bild
Bleibe stets wie ietzt gesinnet
Biß Dein Ruhm den Himmel füllt
Vnd den hohen Sitz gewinnet
Den die Tugend diesem giebt
Welcher ihre Lehre liebt.

Dieses wenige wolte zur Bezeugnng seiner Schuldigkeit so wohl gegen dem Hoch-Adelichen Löserischen Geschlechte als auch seinen Hochgeschätzten Freunde zu Ehren hinzu fügen

Christian Hartmann Lederer/
Beyder Rechten Doctor.

ENdlich bleibt es doch darbey
Daß vor allen andern Schätzen
Wahre Tugend vorzusetzen
Vnd zu lieben würdig sey
Denn was die Welt sonst hat/ verschwindet mit der Zeit
Die Tugend aber steht/ und bleibt in Sicherheit
Jedem ist ihr Gut zwar feil
Doch kan sie kein Fauler wehlen
Denn Sie wird nur edlen Seelen
Durch belobten Fleiß zu Theil

Vnd

Und niemand als nur der erlangt die schöne Frucht
Der sonsten keine Lust und Sie mit Eyfer sucht.
Wenn der Anfang nur vorbey
Denn so schmeckt Sie nicht mehr bitter;
Sondern machet die Gemütter
Aller Müh und Sorgen frey
Und wer den ersten Weg nur tapffer übersteht
Erfährt daß er hernach auff lauter Rosen geht.
Dieses hat dein hoher Geist
Edler LöSER wahrgenommen
Drumb so bistu dahin kommen
Wo man dir die Palmen weist
Wer sich den Musen hat in ihren Schoß gesetzt
Der wird mit Ruhm vergnügt und nach Verdienst ergetzt
Fahr nun fort mit gleichen Sinn
Himmel an dich zu erheben
Jtzt wird dir der Preiß gegeben
Deinem Fleisse zum Gewinn.
Mann sage was man will, Es bleibet doch darbey
Das wer die Tugend liebt des Adels würdig sey.

Zur Bezeugung ihrer Schuldigkeit verfertigten dieses

Ihrer Magnif. Herrn Doct. Lederers
sämbtliche Tischgenossen.



Madrigal.


Es streben deine muntre Sinnen
Nach dem beliebten Ehren-Reiß;
Drumb wird dein ungemeiner Fleiß/
Der edlen Tugend Lohn gewinnen:

Dann

Dann dieses ist der Tugend Art!
Daß Sie denselben herrlich kröhnet
Der Ihr als einer Göttin fröhnet.

Zu Bezeigung seiner Schuldigkeit satzte
dieses Glückwündschend hinzu

J. A. von Rohr/ Eqv. Misn.



DAß ist des Adels Glantz. Dieß ist der Weg zum Ster-
nen
Ein Mittel dadurch man unsterblich werden kan
Wenn man durch steten Fleiß sucht mehr und mehr zu lernen/
Und seines Lebens-Zeit auf Weißheit wendet an.
Dieß thust nun Edler du / in dem du von der Erden
Dich an dem Himmel hebst. Du bist recht Tugendhafft
Weil du durch Kunst und Witz gedenckest groß zu werden.
Dieß ist des Adels Art der Tugend Eigenschafft.

Zur Abstattung seiner Schuldigkeit
schriebs

Casimir von der Osten.

